Z.
X

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
A
19
NAPOLI



Amſtelodami, Apud Joannem Janſſonium à Waeſberge et
Elizeum Weyerſtraat. A°. 1665.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

FRIDERICI HOFFMANNI
Sileſii
Gymnaſii Elbingenſ. Con-Rectoris
POETICUM
Cum Muſis Colludium:
ſive
LUSUUM EPIGRAMMATICORUM CENTURIÆ.
Editio ſecunda altera parte auctior.

NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

AMSTELODAMI,
Apud *Johannem Janſſonium, à Waeſberge*
& *Elizeum Weyerſtraten,* 1665.

In venuſtulas Epigrammatum Centurias

Viri Clariſſimi

FRID. HOFFMANNI.

Cœperat inclemens fortunam accidere Mavors:
Atque oculos morbus ſollicitare Tuos.
Aſt Heliconis opes convellere neſciit ille:
Tangere Caſtalidum neſciit iſte jubar.
Impiger argutâ panxiſti carmina buxô:
Bilbilicámque moves ſedulus uſque chelyn.
Sic Tibi Palladios ſentis grandeſcere cenſus:
Sortéque majorem Te, FRIDERICE, probas.
Quid fruſtrà offundis tenebras Rhamnuſia? Docta
Inveniunt ſemper pectora laudis iter.

JOACHIMUS *Paſtorius ab Hirtenberg*,
S. Reg. Maj. Pol. & Suec. Hiſtoricus, &
Secret. Prof Gedani honorarius.

Ad Virum Clariſſimum,

Mihique Amiciſſimum,

DN. FR. HOFFMANNUM,

Luſus ſuos Epigrammaticos denuò, eoſque auctiores, emittentem.

SCribunt & variè torquent Epigrammata multi,
HOFFMANNE, in propriis & ſibi quiſque placet.
At cum judicio proferre Epigramma rotundum,
Hoc opus, hoc decus eſt; hoc propriúmque Tibi eſt.

Ge. Br. Reip. Elb. Cos.

Domino

FRID. HOFFMANNO,

Gymn. Elbingenſ. Con-Rectori,
Poëtæ Clariſſimo.

ET Te Pierides fecere, *Hoffmanne*, Poëtam,
Aulicus è gremio Nominis arte *Vir* es.
Aulica vita aliis; Tibi vita Scholaſtica præſtat
Aulæis Vati carmine adeſſe Ducum.
Ite Poëtaſtri: Nobis Elbinga Poëtam
Suavi perfectum carmine clara dedit.
Ergò *Palatini Comites* offerte coronam
E lauru dignam condecorante Viro:
Quem nunc Sicelides in apricum hucuſque latentem,
Ex priùs obſcuro conſtituêre loco.
Plaude Sileſia! Clange Boruſſia! Namque recentes
Hoffmanni fructus meſſe calente datis.

Aliud Eidem.

Te nova commendant nobis *Epigrammata* Vatem
Æternô dignum *grammate* ad aſtra Vehi.

M. ANDREAS OTTO, *Eccleſ. Holland.*
Paſtor & Archipresbyter: nec non Conſiſtorii
Pomes. Aſſeſſor primarius.

Clariſſimo atque Doctiſſimo

AUTORI.

EPigrammatum Sophos bene multos vidimus
Argutiâ ſuâ, ſuôque acumine;
Salibus ſuis claros ſuâ & promulſide:
Et *Martiales* & Catullos vidimus
Inter Sophos Epigrammatum veterrimos,
Perquam requiſitis in his clariſſimos:

Et

Et vidimus *Politianos Angelos*,
Mordacitate plurimùm laudabiles:
Et *Stigelios* poſt hos, *Meliſſos* vidimus:
Et *Sannazarios* itémque *Sabinos*,
Simul *Enricios Cordos, Petros Paganos*,
Et *Meibomios, Bezas*, item *Taubmannios*,
Et *Zamelios* noſtros, alióſque plurimos
Recentiores vidimus tales Sophos:
Noſtrum celebratis his Sophis HOFFMANNIDEN
Non æquipararier, foret turpiſſimum!

Aliud.

Nil opus, *ornari* tua noſtrô Epigrammata plectrô:
Téque tuúmque *ornat* ipſe Epigramma ſatis.

Amoris & Honoris ergò faciebat
JOHANNES CRAMERUS,
Gym. Elb. Rector.

In Laudem
EPIGRAMMATUM
Viri Clariſſimi, & Doctiſſimi
DN. FR. HOFFMANNI,
Gymn. Elbing. Con-Rect.

HOFFMANNE artificum pars non ingloria Vatum,
Quos intus Cœli ſanctior ignis agit:
Et tua nunc liquidam cernunt Epigrammata lucem
Gente Batavorum ſuppeditante typos?
Quicquid id eſt, certè natum ex Helicone Poëma
Cum Phœbo juxta laudat amica Charis.
Applauſum meruit cognatæ gratia Muſæ,
Quam levibus grandem verſibus ire juvat.

Ergò legent homines cupidè Tua carmina docti,
Et Tua laus tacitæ neſcia mortis erit.
Sume lubens animi ſignum Tibi ritè faventis,
Quod poſui venæ tactus amore Tuæ.
Præluxêre facem Batavi, gens culta, decorè
Metra fovens vultu conſpicienda novo.
Trajecit Tua Muſa fretum; quodque auguror, illi,
Aureæ quæ ſtatuat vellera, Colchos erit.

Hoc Ἐπιφώνημα

GOTOFREDUS FRID. F. ZAMELIUS.
S. R. I. Nobilis & Poëta Coron.
ſcrib. Elbingæ. Anno 1662. 15. *Decemb.*

FRI-

FRIDERICI HOFFMANNI
Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA PRIMA.

Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Conſultiſſimis VIRIS

D^N. SAMUELI BARNERO,

ET

D^N. ALEXANDRO JUNGSCHULTZIO,

Reip. Elbing. Patr. Coſſ.

Patronis & Fautoribus ſuis plurimùm colendis.

Hunc primum Muſæ Epigrammaticæ Manipulum

Offert

AUTOR.

LU-

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA PRIMA.

I:

Nobilitas Poëtarum.

VIle *Poëtarum* non eſt; ſed nobile Nomen:
Eminet omnipotens namque *Poëta* DEUS.
Ipſe *Poëta* hominum eſt: eſt ipſe *Poëta Poëtæ*;
Ipſe *Poëta* ſoli eſt: Ipſe *Poëta* poli:
Vos eſtis Superûm ſoboles, gaudete *Poëtæ*:
Nam par vobiſcum Nùmina Nomen habent.

2.

Vinum Poëtarum Equus

Baldus equô vehitur greſſus glomerante ſuperbos:
Quadrijugus *Medicum* currus in urbe trahit.
Quô *Vates* curru? queîs utitur ille caballis?
Pota Poëtarum *Vina* vocantur *Equus*.

3.

Cerevisia Poëtarum Aſinus:
Ad Abſtemium.

Non bibis infuſum vitro ſpumante Lyæum;
Hinc neque Pieriô metra nitore paris.
Non conſcendis *Equos*; *Aſinum* tibi ſcandere, mos eſt:
Vina fugis; Cereris labra liquore rigas.
Sic neque, cùm Vatum fugias equitare caballô,
Quod facit ingeniô ſæpe Poëta, facis.

4.

Reſponſum Abſtemii.

Non equidem pateris ſpumantibus haurio Bacchum;

Sola levat Cereris vis mihi cocta ſitim.
Carmina pango tamen doctis laudata Poëtis:
Nec ſine Caſtalio metra lepore fluunt.
Scando *Aſinos* tantùm; vatum non ſcando Caballos:
Conficit aſt *Aſinus*, ſed pede lentus, iter.

5.

Ad ſegnem Bibliorum Lectorem.

Biblia *plurali Numero* de jure movehtur:
Singulus haut *Numerus* Biblia ſacra movet.
At, tu dum ſtolidâ ſpernis ſacra Biblia mente,
Sunt *nullo numero* Biblia ſacra tibi.

6.

In *Bombalionem* podagricum.

Dedidicit rectos *Bombalio ſcandere* verſus:
Quid mirum? cruciat ſæva *Podagra* Virum.

7.

Ad N. *Hundium*
Poëtam Extemporalem.

Quæris, an excudam faciles ex tempore verſus?
Cudo: ſed haut verſus tunc ego cudo bonos.
Cum cane feſtinans properas tua carmina: cæcos
Sed pariunt catulos *Hundius* atque *canis.*

8.

In Linum ἀφιλόσοφον,
de Fine diſputantem.

Quid de *Fine* crepas? procul es, *Line*, fine remotus:
Diſcere *Principium* ſit tibi cura prior.

9.

Lexicon.

Lexicon emiſti; ſed nil inquiris in illo,
Lex-icon ſtudiis *Lexicon* eſto tuis.

10.

Convivium. *Caji.*

Cajus avellanas, ficus, & amygdala ponit,
Palmarum fructum, meſpila, pruna, nuces,
Nè tot, Phyllis ait, cumules bellaria menſæ,
Sufficiet noſtræ *dactylus* * ille gulæ.

* *Dactyli ſunt fructus Palmæ arboris:* die Datteln.

Au-

11.

Aulus Epicuréus.

Cymbala pulſa magis; quàm cælica *Symbola* curas
Et magis uſque *fide* diligis, *Aule*, *fides*.

12.

Das Trink-Recht.

Qui bibit è fundo, cyatho bibat ille recenti :
Nominat hanc legem Natio quæque ſuam.
Cur adeò ſtrictô juvat hic procedere jure :
Cùm reliquis rigidos vos minùs eſſe putem ?
An quia poſtremô *feces bibit improbus* hauſtu ;
Quò *probus* exiſtat, proluit ora novo ?

13.

As: Æs: Is: Os.

AS non deficiet, fulgens *ÆS* quiſquis habebit :
IS poterit lautis *OS* ſatiare cibis.

14.

Apoſtrophus: Apoſtrophe.

VIN' tibi dicamus, primâ quid voce notetur?
Hâc & *Apoſtrophus* eſt : Hâc & *Apoſtrophe* ineſt.

15.

NESCIO

Non eſt Aſinorum Reſponſio :
Ad Coſtum.

Neſcio cur *Aſini Reſponſio*, *Coſte*, vocatur?
Neſcio prudentis ſit quoque ſermo Viri.
Dicito, quâ ratione Deus ſit trinus & Unus ?
Neſcio, ſi dicis ; tum ſapienter ais.

16.

In Aſtrologum.

Conſcendis tectum, ſpeculâ *ſtellata* tueris
Atria, ſecurus quid levis uxor agat.
Nè ſpecta ſurſum *Stellas* ; deflecte deorſum
Lumina : nam thalamo *Stellio* magnus ineſt.

17.

In Ignavum Juris Studioſum.

Quid prodeſt *Codex*, cùm nil è *Codice* diſcas ?
Crede mihi *caudex*, Alpheſibæe, manes.

18.

In Palponem.

Os eſt blandiloquens: humeros tua *brachia* palpant;
Sæpe premit dextram *dextera* juncta meam,
Si fictis poſthac conjungas *oſcula* fucis;
Tu *Judas* noſtri temporis eſſe potes.

19.

Ad Fœneratorem.

Eſt *uſura* tui mordax *raſura* peculî:
Fœnora ſunt animæ *funera* certa tuæ.

20.

In Nanum arrogantem.

Verba quid elatus mera *ſeſquipedalia* jactas;
Cùm tu ſis tantùm *ſeſquipedalis* homo?

21.

Ad Nollium.

Verboſis nimiùm turbam ſermonibus opples;
Pro cathedra quoties publica verba facis.
Membra trahens novit nullos oratio fines;
Metiris naſô ſingula membra tuo.

22.

In tenebricoſam cujuſdam Domum.

Anne *Feneſtellam* * ſub pulpita condere velles?
O ſi parietibus vellet ineſſe prius!
* *L. Feneſtella, Hiſtoricus.*

23.

Artificium Rhetoricum.

Κοινὰ * noves καινῶς & καινὰ reponito κοινῶς:
Sic dabis artificem Rhetoris arte bonum.
* *Vid. Rhet. Melanchth. lib. 1. cap. 23.*

24.

Uxoris canina Ira.

Dromo canem, Corydonque canem, pagoque moloſ-
Ad limen vigilem ruſticus omnis alit. (ſum
Cur canis excubias agitat tibi nullus ad ædes?
Non opus eſt: *uxor latrat in æde tua.* *
* *Ad imitat. Matth. Zuberi Æolohyl. Pegm. 5. ſub lit. P.*

25.

Ad Sciolum Zoilum.

Tu nihil ambiguus cauſa decidis in ulla ;
Quodque alii ſtatuunt , exagitare ſoles.
Scepticus * ut rectè dicaris , perficit illud :
Scopticus † hoc mordax ut videare facit.

* *Sceptici* fuerunt Philoſophi, de omnibus rebus ſemper dubitantes ; ſic dicti à σκέπτομαι, conſidero, ambigo.
† *Scoptici* ſunt cavillatores , à σκώπτω, cavillor.

26.

Ad Naſutum.

Num mea metra , *Labrax* , *naſo* ſuſpendis adunco ?
Hoc , quando fueris *Naſo* poëta , feram.

27.

Hyſteron : Proteron.

Ὕστερον & Πρότερον declaraturus aperto
Exemplo Rhetor ; convenienter ait :
Si ſobolem ſacro tingi baptiſmate curas
Ante Hymenis tædas ; Ὕστερον eſt Πρότερον

28.

In Nugivendum.

Stultus es , ac ſolidæ doctrinæ ignarus & artis :
Magna tamen vulgus te didiciſſe putat.
Nempe Strabo cæcos inter Rex ſicut habetur :
Sic es cerdones inter Ariſtoteles.

29.

Barbariſmus Theologicus.

Quid cum Grammatica mihi ? Paſtor barbarus inquit :
Dat *Poſtilla* * mihi ; *Biblia* † datque cibum.

* *Vid. Voſſ. de Vitiis Serm. lib.* 3. *c.* 36. *p.* 550.
† *Eundem lege ibid. lib.* 1. *c.* 12. *p.* 50.

30.

Solœciſmus Medicus.

Grammaticæ Medicus violans ſermone nitorem ,
Non , inquit , curo, *verba* , ſed *herba* magis.

31.

De libellis famoſis.

Quid ſunt *Paſquilli ? ſquilla : famoſa* quid Oda ?
Famoſa eſt : *Carmen* quid leve ? *crimen* habet ,

32.
Lingua & Cauda Canina.

More canis latras : blandiris more canino :
Sic *cynogloſſa* tibi eſt : ſic *cynoſura* tibi eſt.

33.
Cantor Exlex.

In vultus ſudore cibos panemque parabis ;
Sic homini dixit voce minante Deus.
Non hâc Vos eſtis, *Cantores*, lege ligati :
Cum pace & planſu * veſtra moneta ſonat.

* *Canticum.* Mit Frid und Freud ich fahr ꝛc.

34.
In Bellum non bellum.

Bella gerunt homines ; & ſe geſſiſſe patratas
Res *bellè bello bellica* turba putat.
Non homines eſtis *belli*, qui *bella* crepatis :
Deſine *Bellorum* : ſic mihi *bellus* eris.

35.
In ambitioſum Cujuſdam FUDIT.

Verſiculos totô ſemel, aut bis conſtruis annô :
Cumque ſtruis, parcus diſticha bina facis :
Et tamen his ipſis (*fudit* properante Camœnâ)
Semper in extrema ſubdere calce ſoles.
Heus *ſtillas* tantùm, non *fundis* Marcule, verſus,
Flumina funduntur : *Guttula* rara cadit.

36.
In Pharmacopolam, quem Apothecarium vulgus nominat.

Manè ſaluto meum jejunô ventre *Ruſinum*,
Qui mihi Pœonia monſtrat in arte libros.
Ne mihi, dico, feras, quod *Bibliotheca* recondit :
Jejuno promat nunc *Apotheca* dapes.

37.
Titulus.

Magnificos titulos hominum cur quilibet ambit :
Titillant tituli : quilibet ergo cupit.

In

38.

In Ollum bibacem.

In te non unum vini vas *innatat*, Olle :
 Te potiùs vini vaſe *natare* velim.
Nam ſi ſubmerſus vini torrente periſſes :
 Non ſic peccares evacuando merum.

39.

BONUS & MALUS

Comparatione Anomala.

Non *Bonus* atque *Malus* vulgari Regula motu
 Comparat : à trita flectit utrumque viâ.
Nam *Bonus* exemplum eſt, vulgi quod regula neſcit :
 Vertitur aſt homini regula trita *Malo*.

40.

In Cœciliam.

Cùm viſura procos *cernas* oculatior Argô ;
 Falsò *Cœciliæ* nomina cæca geris.

41.

Anagramma.

Numus ; *Munus*.

Qui dare vult *munus*, loculis ferat illicò *numos* :
 Quique feret *numos* ; *munus* is ipſe dabit.

42.

In Verſificem πεντάποδα.

Quinquepedes lævo conſarcinat omine verſus
 Gryllus ; & ipſius carmina ſemper hiant.
Sic quia *detruncat* verſus ; me judice *Gryllus*
 Carminifex bonus eſt; *Carminifexque* malus.

43.

Muſicæ Odium.

Hinnitus Antæus equi concentibus Odæ
 Prætulit ; harmonicâ quos canit arte chorus
Rex Scytha non fecit, ſurdis vel teſtibus, *æquum* ;
 Dum præfert Muſis fautor equinus *equum*.

44.

Poſtillarum Origo.

A ſeclis aliquot ſunt commentaria dictæ
 Poſtillæ : Autoris cum legit alter opus.
Hic quia dictando repetebat ab ore magiſter

Diſci-

Diſcipulis crebro talia verba ſuis:
Nunc *poſt illa* mei; *poſt illa* adſcribite verba.
Textus: *Poſtillas* hinc genuêre notæ.

45.
Ad Corbulonem.
De Proverbio: Naſum habes.
Me doctum laudat fucatô *Corbulo* verſu:
Et ſoli *naſum* dicit *ineſſe* mihi.
Corbulo mentiris: pariter te naſus adornat:
Et ſuperat triplò, ſi benè ſpecto, meum.
* *Eraſm Chil.* 1. *Cent.* 6. *Prov.* 81.

46.
In Statiſtas, ſeu Pſeudo-Politicos.
Quicquid falſiloqui patrant cum fraude *Statiſtæ*;
Id *Ratione Statûs* nequiter omne tegunt.
Cùm vos judiciô Chriſtus detrudet ad hædos:
Qualis erit *Ratio*, grex maleſuada, *Statûs*?

47.
De Palliolis Fœminarum, quæ Pruſſi
Schmargen *vocant.*
Fœmineô niteat moderatus corpore Mundus;
Et ſine ſit luxu palla, puella, tibi.
Non ego magnificam cultûs laudavero pompam:
Sed neque, quæ Vobis ſunt minùs apta, probo.
Tollite *palliolum*, muliebria corcula, *curtum*:
Non fugat æſtivum; non hiemale malum.

48.
In Stammarum
Intempeſtivè diſcurrentem.
Me nimis inſipidô *Diſcurſu*, *Stammare*, tardas;
Obvius in noſtra cùm feror urbe tibi.
Qui mihi *diſcurſus* placeant; tibi, Stammare, dicam:
Ut citò *diſcurrant*; hoc mea vota probant.

49.
De Diſputatione infruniti Antigenis.
Diſputat *Antigenes*; prælô, quæ diſputat, edit:
Et nobis ſtolidum dedicat autor opus.
Membranâ excuſam rutilanti veſtit opellam:
Sordidaque auratâ dogmata pelle tegit.

Quæ-

Quærit, num placeat? dixi; mihi perplacet aurum
Pelle micans: partus diſplicet ipſe tuus.

50.

Unter, Röcke ſind Appetit, Röcke.

Emtor ut accurrat, ſertô vinarius ornat,
Forficibus ſartor, tonſor at ære fores.
Virgo procum allectans, tunicæ vaga ſyrmata pandit:
Vendibiles merces extera ſigna probant.

51.

De Viri degeneris generoſa Conjuge.

Æquoreas inter pecudes piſceſque Silurus *
Fœmina præcellit nobilitate *marem*.
Non hoc cœruleis ſolùm fit in æquoris undis:
Hâc ſuperat ſocium Theſtylis urbe virum.

* *Ariſt. hiſt. Anim. lib.* 8. *cap.* 30.

52.

Euphronium Virgo.

Euphronium propriè *Neutrum* eſt, ceu Regula dictat:
Et verum eſt: neque Me; Te neque prorſus amat.

53.

In Toxilum ænobarbum.

Aureus eſt vertex: facies *argentea* pallet:
Ænea barba rubet: *plumbea* * corda ſtupent.
Ferrea † & ora rigent: Tantis cumulate metallis
Nonne ſaluteris, Texile, dives homo?

* Homo *plumbeus* eſt ſtupidus Terentio.
† Os *ferreum* eſt impudens Ciceroni.

54.

In Pompilianum.

Cum loquor, haut *audit*: *loquitur* nihil ipſe rotundè:
Surdus & *abſurdus* Pompilianus homo eſt.

55.

Marcus Tullius Cicero.

Non *cicere* eſt dignus, *Cicero* cui diſplicet Autor;
Nec *marcâ*, *Marcum* qui malè ſpernit, emam.

Hora-

56.

Horatius Flaccus.

Volvatur lyricus multis *Horatius horis* :
Non etenim *Flaccus flaccida* metra canit.

57.

Perſius.

Perſius obſcurus nimis eſt, *Latinſque* videtur
Nonnunquam vates *Perſica* metra loqui.

58.

De Eodem.

Perſius ut pateat, *Perſeus* quæratur oportet:
Mentis ut Andromedam liberet ille plicis.

59.

Ariſtoteles.

Nullus Ariſtotelem ſuperat: ſi cogat Apollo
Philoſophos regno; Rex erit ille chori.

60.

Terentius & Plautus.

O *tere* perpetuò ſcenam, Studioſe, *Terenti* :
Et *lautum Plauti* volve revolve ſtylum.

61.

Lacrymæ Crocodilinæ.

Caja Virum lugens & fletu lumina tingens
Jurat, ſe nulli nubere velle viro.
Lintea depromens feralia tegmina * ſcindit:
Sed tamen & parco forfice Caja ſecat.
Quærunt, cur parcat? reſpondet: *parte relicta*
Interulam † ut quondam Sponſus habere queat.

* Sterbekittel. † Brauthembde.

62.

In Virginem devirginatam.

Virgo ſalutaris, dubiô ſed nomine, Caſca:
Nam combuſta domus ceu ſolet eſſe domus;
Utque viri titulo nequam fur gaudet honeſti:
Virginis haut aliô nomina jure capis.

Ad

63.
Ad Accium
De Filio in Academia verſante.

Quis tibi ſit *Gnatus* quæris? tu conſule tantùm
Prænomen, quod habet *Pollio* *; certus eris.

* Dictus eſt *Aſinius Pollio*, Orator celebris Romæ.

64.
Ex ungue Leo.

Brennus alit longos digitis, nec deſecat, ungues:
Scilicet uxoris lancinat ungue genas.
Unguis atrox hominis truculentam prodidit iram:
Et ſic fit proprio notus ab ungue Leo.

65.
Roſibella Urticæ collata.

Urticam ſi contingas cunctanter, adurit:
Fortiter attingas; prorſus hebere ſolet. *
Urticæ eſt ſimilis Roſibellula: ſegnis amator
Verbera; ſed fortis baſia grata capit.

* *Lipſ. Conſtant. lib* 1. *cap.* 21.

66.
In Superbum.

Ambulat *anſatus* * totâ dum Sextius urbe,
Anſam ridendi civibus ille dedit.

* Der Hände an die Seite ſetzen.

67.
In Accium Criticum.

Te jactas *Criticum?* mendax es *Creticus*, Acci,
In te nec *criſeos* mica puſilla latet.
Eſt riſus merus iſta *criſis*, phantaſma cerebri:
Creticus hunc *Criticum* Pontus in ima vehat:

68.
Hiſtoricus.

Contulit Hiſtoricis * *Oculorum* nomina ſenſus;
Quòd, quæ deſcribunt, geſta *videre* ſolent.
Sic igitur rebus qui non interfuit actis;
Hiſtoricum *cæci* condet ad inſtar opus.

* ἀπὸ τοῦ ἱςορεῖν, *à videndo, luſtrando.*

69.
De Cantharo argenteo Ponti.

Donat inaurato *Pontus* mihi vaſe falernum ;
 Et vinô ebibitô vaſa redire jubet.
Id fiet, dixi ; ſed nè vas reddere cogar ;
 Nunquam vina ſuo præbita vaſe bibam.

70.
Poëtæ bibaci.

Carmina componis ; primas pes obtinet illîc
 Baccheus * ; *Baccho* naſcitur ille tibi.

* *Conſtat tribus ſyllabis ; prima* U: *poſterioribus duabus.*

71.
Crapula.

Multa cadit bellô , major potando juventus :
 Nam *galeâ* plures heu *gula* ſæva necat.

72.
In Philoſophum ebrioſum.

Otto bibit , dulcique replet ſe ſemper Jacchô :
 Philoſophum potus ſe tamen eſſe crepat.
Non nego : Philoſophi gerit humida nomina potus :
 Speuſippum * lurco pota *vomendo* refert.

* *Alludit ad Germanorum verbum* Speyen/ i. *e. vomere.*

73.
Prodigus.

Prodigus es , luxúque tuam rem *prodigis* omnem :
 Quis te *prodigium* non videt eſſe malum ?

74.
ADAM.

Conſtituunt Eurus , Zephyrus , Notus , Auſter , Adamum :
 Quattuor , ut fingit natio Græca , plagæ. *
Quid ſibi vult iſthoc? Hominem quadruplicis Orbis
 Et Dominum , & ſummum conſtituere Ducem.

* *ADAM apud Græcos è 4. plagarum literis initialibus conſtat ; quæ ſunt* Ἀνατολὴ , *Oriens* ; Δύσις, *Occidens* ; Ἄρκτος, *Septemtrio* : Μεσημβρία, *Meridies.*

75.
Ad Mæcenatem
de exhibitis cujusdam Stimpleri verſibus.

*Ex aliis conſuta tulit tibi carmina *centum*?
*Centones** *centum*, peſſimus ille tulit. *
Præmia quæ reddes ſutis pro verſibus illi;
Centones † voti tot quoque redde malo.

*Zuſammen geflickte Verſe.
† Bettlers Kleider.

76.
In Captioſum.

Cum mecum faris, dictis ænigmata miſces:
Sermo tuus griphis mille ſubinde ſcatet.
Heus *nebulo*, dictis *nebulas* abſterge latentes:
Aut rapiant *griphos gryphes* ab ore tuos.

77.
In Patrem vitâ improbum.

Tu *vitanda* vetas: at non *vitare vetanda*
Ipſe ſoles: ſcelerum turpis es ergò pater.
Fungitur ille boni laudatô munere Patris:
Qui *vetat*, & *vitat*: *vitat*, & uſque *vetat*.

78.
Sacerdos flagitioſus.

Cùm mala famoſum faciat te vita, ſacerdos;
Secedas *arâ*: convenit *hara* tibi.

79.
Anagramma.
Juvenis: En vivis.

En fuèris Juvenis, vegetô dum corpore *vivis*;
At vetulus nomen non juvenile meres.

80.
Anag. Virgo: Vigor.

Cui *vigor* ætatis vernans, ea *Virgo* putanda;
At contrà *Virgo* deſinit eſſe ſenex.

81.
Ad Logicum illiteratum.

Dum ſcitè logicas conaris nectere formas;
Sed Priſcianus vapulat:

Blennæ,

Blenne, *Solœciſmi* meritò perfectior autor,
Quàm *Syllogiſmi* diceris.

82.
Belli Incommoda.

Mars *aras* Superûm turpes tranſmutat in *haras*;
Et *Scalas* infert in, ſacra tecta, *Scholas.*
Curia repletur *curis*, *privataque* ſedes
Eſt *privata* ſuis & ſpoliata bonis.

83.
Ad Arithmeticos:

Traditur *in numeris* fructà *Aurea Regula de Tri*:
Si foret *in nummis*; *aurea* jure foret.

84.
Etymologia falſa vocabuli
AMICUS

ex ἅμα, ſimul: & οἶκος, domus.
Fontibus è Græcis derivas nomen *Amicus*;
Dicis, amica *ſimul* degere corda *domo*
Si verum dicis: ſcribi non debet *Amicus*;
Scribendum poſthac ſemper *Hamacus* erit.

85.
Coquus & Muſicus.

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas; *
Sic ait, apponens fercula lauta coquus.
Dimiſſis, corvos vexet cenſura, columbis;
Muſica qui pennis organa munit, ait.
* *Juvenal. Satyr.* 2.

86.
Duellum.
Comma; Punctum.

Provocat *Ajacem Glauco*; pugnatur acerbè:
Hic cæſim; punctim fortiter ille ferit.
Vulnus uterque facit, ſi qualia vulnera, quæris?
Ajax puncta fodit; *commata* * *Glauco* facit.
* *Comma à Gr. κόπτομαι, cædor, incidor; Latinè Inciſum.*

87.

Unguentum Diogenis.

Non caput unguento Cynicus redolente perunxit
Philoſophus; preſſos imbuit ille pedes.
Vertice namque vagam fragrantia tranſit in auram:
Sed ſurgens nares calce ſubintrat odor.

88.

Anna Juvencula.

Nobilis *Anna* tuis eſt fertile *manna labellis*;
Eſt ſimul *Anna* velut mellea *canna* tibi.

89.

Anna Vetula.

Fertile *manna* fuit juvenilibus *Anna* ſub annis;
Nunc ætate gravis *ſanna* fit *Anna* viris.

90.

Ad Mæviam.

Nævia debebas potiùs, quam *Mævia* dici;
Cur? quia deformi corpore *nævis* ineſt.

91.

Virginitas.

Non minimam Virgo, Mariam ſi demſeris unam,
Poſt *partum partem* virginitatis habet.

92.

Tubicen; Tibîcen.

*Tibia** clara *tuba* conferri dicitur illi,
Qui res diſſimiles æquiparare ſolet.
Hinc longâ atque brevi *tubicen tibicine* diſtat;
Ut res diſſimiles ſeparet ipſe ſonus.

* *Eraſm. Chil.* 1. *Cent.* 8. *proverb.* 74.

93.

Jocus Laurentii Gualtertii in Juriſconſultum.

Sylla forô poſcit celebris *Legiſta* vocari?
Sylla nequit celebris nomen habere viri.
Eſt etenim ſimilis, vocitat quam Græcus, ἀνάγκη: †
Lege Neceſſe caret: *Legéque Sylla* caret.

† i. e. *Neceſſitati*.

94.

Carmen inconditum.

Condere metra potes; ſed non *condire* lepore;
Aut *condi*; aut nullum *conde*, Poëta, metron.

95.
Pulex.

Cur *pulex Generis* proponitur eſſe *Virilis*,
Cùm muliebre magis mordeat ille genus?
A potiore ſuum ducunt ſi nomina nomen;
Fœmineum pulex poſſidet omne *genus*.

96.
Pulvis Moſchatus.

Ecquid odorato maculatur pulvere vertex?
Occupat & totum ſparſa *farina* caput?
Pulverulenta cohors; *Cujus*, dic quæſo, *farina* es?
An *fatua* * hoc vobis pollen *avena* dedit?
* Tauber Haber.

97.
De Logico quodam Dilemmatico.

Cur ita *Cornutos* promtè facit Ollus elenchos?
Nulláne cauſa rei? commoda cauſa ſubeſt.
Ex imo promunt alii *cornuta* cerebro;
Ex capite atque ſimul *de capite* ille petit.

98.
Inhoſpitalis.

Tu nunquam totò *cœnaſti* * tempore vitæ:
Nam ſerò *ſolus* veſpere ſemper edis.

* *Cœna, quaſi κοινὴ, communis; à communione victus.*

99.
In Momum.

Cùm fœdè *bales*, & *latres* more moloſſi:
Annon hinc fœdus, Mome, *balatro* cluis?

100.
Autor de verſibus ſuis.

Hos ego non feci culta ſub Druſide verſus:
Nec morſu cives pungo fremente tuos.
Nullus in hac vivit *Cordax*; non *Marcnlus* ullus:
Non *Mopſus*, torvo cum *Corydone Mycon.*
Non *Phryx*, non *Cyclops*, tetrico non *Corbulo* vultu:
Non *Staphyle, Thais, Tuppia, Caſca, Chloë.*
Scire cupis, noſter cuſus queîs verſus in oris?
Eſt natum nobis carmen in *Utopia.*

FRIDERICI HOFFMANNI
Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATI-CORUM

CENTURIA SECUNDA.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA SECUNDA.

1.

Tres Epigrammatis Virtutes.

LUceat in comto triplex Epigrammate Virtus:
Mordeat, oblectet, ſubdoceátque ſimul.
Paucula noſtra *docent* cupidas Epigrammata mentes:
Oblectamenti guttula rara pluit.
Vulnera ſæpe quidem *morſu* dentata minantur;
Non tamen innocuos lædere dente ſolent.
Marculus hic petitur noſtris & *Quarculus* armis:
Inſons *mordaci* carmine liber ovat.

2.

In Bibacem.

Qui bibit, ut *fundo* nec gutta ſuperſit in imo,
Huîc parvô nullus tempore *fundus* erit.

3.

De Sterilitate Annonæ.

Ad *frugem* quoniam nolunt perverſa redire
Pectora; nunc *fruges* perdidit ira Dei.

4.

Virgo in medio Juvenum.

In medio Juvenum reſidens lepidiſſima Virgo,
Oſcula prædantes parte ab utraque timet.
Oſcula diripiunt; fruſtráque repugnat & inquit:
Imbelles * *damæ quid niſi præda ſumus?*
* *Martial. lib.* 13. *Epigr.* 64.

5.

Apollo ſemper-Juvenis.

Cùm ſemper viridi floreſcat Apollo juventâ,
Dicendus potiùs *Phœbus Ephebus* erat.

6.

Nuptiæ Plurale.

Quæris, cur thalami properans ad vota ſecundi
Novas celebrem *Nuptias?*
Grammaticus Numerô *plurali* laudat, & iſtis
Libens ſubſcribo, *Nuptias*.

7.

Ad Mimum-Momum.

Carpis, & his melius ſpondes imitando meliſma?
Mome ſile: melius *Mime* meliſma canas.

8.

Ad Plancum Drexelium.

In verſu me, *Plance*, jubes brevitate placere?
Diſpliceat, metuo, nè tibi ſermo brevis.
Non ego *Drexelium* poſthac te, *Plance*, vocabo:
Drex ego te dicam: quî breviora placent?

9.

Ad Marcum Nelonem.

Curta tibi nimiùm mea carmina, Marce, videntur;
Longius excudam nunc Epigramma tibi.
Æſopo-Bardo-Mopſo-Pompolius es tu:
Teter es heu *longo* carmine *Longurio*!

10.

Ad Eundem.

hactenus, *Marcum Nelonem:*
nunc, Marc-olph-um Ne-*bu*-lonem.

Non eſt grata tuo mea metrica Muſa palato:
Nauſea lectori de brevitate venit.
Haut mihi difficile eſt noſtros extendere verſus,
Longáque diductô ſcribere verba ſono.
Sis age pro *Marco Marcolphus*: próque *Nelonis*
Nominibus nomen tu *Nebulonis* habe.
Si te *Marcolphum Nebulonem* Muſa vocârit,
An tibi creverunt carmina longa ſatis?

11.

Ad avarum Judicem.

Aurea dum captas, & gemmea munera Judex
Accipis; heu certè magnus es *Accipiter*!

12.

Ad N: Relger.

Ardua ſublimem ſupra volat *ardea* nubem:
Ardea, tu non es; ſed miſer *ardelio*.

13.

Aurora.

Parturit *auricomans Aurora* Studentibus *aurum*;
Non *ſopor* Aonii dona *ſaporis* habet.

14.
De Eadem.

An dubitas ſacris *auroram* impendere Muſis?
Eſt *aurora* tuis, *aurea* ut *hora*, libris.

15.
In Niſam illiberalem.

Oſcula, Niſa, negas juvenum mellita *labellis*:
Eſt *labes labiis* non levis iſta tuis.

16.
In ementitam Nobilitatem.

Grandia pomposô jactas inſignia faſtu:
Ac velut antiquâ nobilitate tumes.
Te tamen agricolæ cognatô ſanguine laudant:
Hic patruum, affinem te vocat ille ſuum.

17.
Vinum.

Fœcundi calices multos fecere diſertos *:
Non ullum fecit Rhetora, credo, calix.
* *Horat.*

18.
Catachreſis Ethica.

Panſa ſuâ nummos fulgentes poſſidet arcâ:
Sed modo pellicibus *Panſa* numiſma dedit.
Hocce *Catachreſin* Rhetor negat eſſe vocandum:
Ethicus eſſe malam ſed *Catachreſin* ait.

19.
Ad Amarillida.

Heus! es *amara* nimis; nulla dulcedine ſtillas:
Hinc & *Amarillis*; non *Amarillis* * eris

* *Derivamus à Lat. Adject.* amarus, a, um: *cum Virgilius deducat à Græc. Subſtantivo* ἀμαρὶς *ſignificante* incile, per quod aqua ad irrigandum hortum vel agrum derivatur.

20.
Ad Sylvium.

Sylvius es? non *ſylva* tibi, neque germinat arbor:
Muſæo frigens nam miſer uſque ſedes.

21.

Peregrinatio.

Fac peregrina notes: patriæ ſic namque *πολίτης* *
. Utilis; & morum luce *politus* eris.
* *Civis.*

22.

Poëtæ edentulo.

Non ſerpentinô dicis te pungere morſu:
Eſſe tibi metricos, ſed ſine *dente*, ſales.
Non opus eſt monitu: facilis tibi credere poſſum:
Dens ſupereſt toto nullus in ore tibi.

23.

Alteri cuidam Poëtæ.

Nec tua vulnificis Clio ſe *dentibus* armat;
Dens quamvis extet multus in ore tuo.
Quomodo *dentatus* promis ſine *dentibus* odam?
An metra *dente* carens parturit uxor anus?

24.

Bis dat, qui citò dat.

Eſt *minùs* acceptum *munus*, quod tardiùs offers:
Ut gratum *munus* ſit; citò pande *manus*.

25.

De Phryge, cui poculum ori admoturo alapa impacta erat.

Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra; *
Acceptô colaphô *Phryx* bibiturus ait.
* *Gellius lib.* 13. *c.* 16.

26.

De Quodam cognomento. Fuß *dicto.*

Pes ſibi filiolum gaudet peperiſſe Maritam:
Si peperit: natus fuit ecce *Pediculus* illi.

27.

Cauſidicus.

Quando cito *titulos*; *vitulos* mihi villicus offert:
Cùm *legem* allego; cerno venire *gregem*.
Quando ſonat *Codex:* fertur cum pondere *caudex*;
Cùm *Digeſta* ſonant; tum mea *geſta* valent.
Villa parata mihi eſt; ſi quando *Novella* citatur;
Omnia *jura* fori dant bona *jura* gulæ.

Chiro-

28.

Chirothecæ odoratæ.

Nè manuum thecas fragrante perungite moſchô ;
Geſtatis veſtrâ ſtercora bruta manu.

29.

In Murmeliani ſine mente ſonum.

Murmeliane tuus *venter caret auribus* ; ô ſi
Sic careat *venter* garrulus *ore ſuo* !

30.

Studiorum Impedimenta.

Nemo ſtudet nimiùm *repletô* ventre libenter ;
Expletóque nimis corpore nemo ſtudet.

31.

Alcumiſtica Ruſticorum.

Heu, Chymici, ſterilis nimis *Alcumiſtica* veſtra eſt ;
Rectiùs hanc artem ruſtica turba tenet.
All-kuh-miſt fœcundat agros, & frugibus implet :
Hinc *aurum* frugum copia larga parit.

32.

In Monoculum.

Sæpe ſibi eſſe *manus oculatas* Corbulo dicit :
Corbulo non verum eſt : eſt *oculata manus.*

33.

In Pollionem.

In trabe Majores pingit ſibi *Pollio* ; nullos
Majores, præter quos ſibi pingit, habet.

34.

In Courtiſanum plumbeum.

Ruſticus eſt Corydon : teneras tamen ille puellas
Viſitat, inclinans has ſuper uſque caput.
Nuper eum increpuit virgo : caput, improbe, tollas :
An *ſcapulam ſcopulum* ruſticus eſſe putas ?

35.

Maritus & Uxor diſpares.

Tu nihil invitâ dices faciéſve Maritâ :
Multa ſed invitô Te facit Illa Virô.

36.
De ſcriptis cujuſdam Meropis.

Scripta *Merops* edit, magnatibus illa ſuperbò,
Inſcribens titulo, *principibuſque* viris.
Non ſunt *principibus*; ſunt Diis ea ſcripta dicanda.
Devoveat *claudo** pòſt ſua ſcripta *DEO*.
* *i. e. Vulcano, quem Poëtæ* claudum *fingunt*.

37.
Er lebt unehlich und unehrlich

Non habet *uxorem*, tamen eſt *uxorius* Ancon:
Eſt *cœlebs*; κοίλιψ* is tamen eſſe negat.
* κοίλιψ *eſt concubitu carens*.

38.
In Quendam.

Et *ſitis* atque *fames* peperit tua carmina: nullam
Illa *famem* pariunt mentibus atque *ſitim*.

39.
Ad Iudicem perverſum.

Non *jus* cuîque ſuum *tribuis*, nequiſſime Judex:
Non igitur Themidos *jure tribunal* adis.

40.
Syllogiſmus Nuptialis

Sic Sponſum, Sponſam, ſic *Paſtoremque* locabis,
Ut *Syllogiſmus* prodeat:
Majorem præſtet *Sponſus*; det *Sponſa Minorem*:
Mediúmque Paſtor *Terminum*.
Huîc *Medio* nunquam *Concluſum* intrare licebit;
Ceu trita poſcit Maxima.

41.
Mœcenates.

Magnates Vatum *Magnetes* jure vocantur:
Semper ad hos Vatum tendere Muſa ſolet.

42.
Metamorphoſis.

In nova fert animus mutatas dicere formas,*
De Sponſa ſurgens Sponſus Alanus ait.
* *Ovid. lib.* 1. *Metamorph.*

Bilis.

43.
Bilis.

Et *Serpho* * ſua bilis ineſt; dixére *Pelaſgi*:
Quòd *ſervo* bilis ſit, neque *Roma* negat.
* *Serphus inſecti genus minutulum, formicæ ſimile*: *de quo Proverb.* Ineſt & formicæ & ſerpho bilis.

44.
In Spurium Trinominem.

Nomina trina tenes: ceu dicis; Patris, Avique,
Ac Proavi: quos tu creber in ore geris.
Non tibi Majores; terni tibi nomina Patres
Attribuunt: Meretrix nam tua Mater erat.

45.
Ad Jodocum Vulpium.

Dixit Ariſtoteles, * *vulpi* quod *corvus* amicus.
Non tibi, nê fiam *corvus*, amicus ero.
* *Hiſtor. Animal. lib.* 9. *c.* 1.

46.
Conſpiratio.

Quando *conſpirat*, ſævitque rebellio vulgi;
Hoc *malus inſpirat* Dux Acheronte *malis*.

47.
Ad Quendam
De Natura Philoſophiæ integrum annum profitentem.

Cur *adita* Sophiæ ſegnis tarduſque moraris?
Fac *adytum* penetres, imaque templa Deæ †
* *Lipſius ad Lector. Conſtant. in hunc ſenſum inquit: Philoſophantium vulgus ætatem totam in* aditu *Philoſophiæ verſantur*: Adyta *ejus nunquam vident.*

48.
In Simum.

Tu probus es; nullum naſô ſuſpendis *aduncô*;
Nec potis es: naſus nam tibi *ſimus* † ineſt.
† *id eſt, depreſſus, inſtar Simiæ.*

49.
Comparatio duarum Virginum.

Nobilis eſt Virgo; ſed multùm *mobilis* Ægle;
Nobilis Anna minùs: *mobilis* illa minùs.

50.

Anima Fœtens.

Ungis odore manus, & crines pulvere ſpargis :
Fœtor at exhalat putris ab ore tuo.
Unguentis animam fœtcntem dulcibus ungas ;
Nè ſpirans homines fa ẗor ab ore necet.

51.

Aula.

Regia ſi luxu ; ſi turpibus *Aula* redundat :
Caula fit *Aula* ſuum ; *Regia* mandra *gregis*.

52.

Ad Amaſium mendacem :
per Anagr. Venus : en uſu.

Baſia virginibus te figere gratâ negâſti ?
Falſum eſt? *en uſu* gaudet amata Venus:

53.

Innuptæ Filiæ.

Laudat venales, qui vult extrudere, merces : *
Hoc facit in Gnatis ſtultus *Agrippa* ſuis.
* *Hor. lib.* 2. *Ep.* 2.

54.

In Arrogantem.

Affectas longos titulos, faſtuque ſuperbis :
Corpus ut exæquent nomina magna tuum.
Heus ; tibi nè ſumas *titulos* ; tibi ſume *titulos* ;
Omnia ſi *longus* ſumere *longa* cupis.

55.

Αὐτάρκεια.

Quærat avarus *ovem* : Numen mihi conferat *ovum* :
Quærat avarus *opes* : det mihi Numen *opem*.

56.

Georgio Tillio, morbo Colicô laboranti.

Tormina corporibus miſeris cum ſedet *anethum* : *
Cur non ipſe tuo tormina ventre fugas ?
* *Plin. lib.* 20. *cap.* 18.

57.

Cornelius Ubique.

Corneli Galli cecinit Maro * carmine nomen :
[illegible]i jam *Corneli* nomina Muſa canat ;

Non

Non modò *Cornigeros Gallos*; ſed & inſuper *Anglos*,
Hiſpanos, *Italos*, *Teutonicoſque* canet.
* *Virg. Eclog.* 10.

58.
Judex ad Reum.

Auritus quò ſim venias *auratus* oportet;
Aurum aurem atque *auram* conciliare valet.

59.
Menſa Liberalis.

Me cœnas guſtare tuas & prandia, mandas:
Mæcenas igitur magnus es, *Ance*, mihi.

60.
Intemperantia Linguæ.

Quam labor *Hippocratis* nullo medicamine ſanat;
Huic amor *Harpocratis* damna levare poteſt.

61.
Pœnitere tanti non emo.

Marcus rogatur, ut thalero *Smetium*
Muſis emat poëticis.
Is *pœnitere* dixit haud tanti paro:
Vivam abſque trito *Smetio*.
Mox metra condens alteram ducit miſer
In *pœnitere* ſyllabam.
Tunc is: thalerum ſolverem, ſi jam mihi
Quis *pœnitere* venderet.

62.
Morte morieris.

Anguis Avernalis fallendô plaſmata Jovæ
In duo diviſit, queîs * coaleſcit homo.
* *Scil. Corpus & animam. Imitamur autem Diſtichon illud tritum: Summus Ariſtoteles trutinando &c.*

63.
Sermo morum Index.

Arguit innocuos dicendô oratio mores:
Sermo nec eſt fallax mentis imago bonæ.
Fallor; ut hinc *mores* citiùs *ſermone* paterent,
Converſo *Mores* nomine *Sermo* * parit?
* *Anagr. Sermo: Mores.*

64.

Cœna Muta.

Ad cœnam me, *Batte*, vocas; venioque vocatus:
Apponis varias, fercula lauta, dapes.
Tu tacitus ventrem dapibus diſtendis opimis:
Non mihi guſtatur parvulus ore bolus.
Nauſeo, *Batte*, cibos: quia *deſunt optima cœnæ*
Condimenta tua: cœna loquendo ſapit.

65.

Balneum.

Non opus eſt *cœſtu*, aut *ceſto*, cùm balnea quæris:
Caſtula, ſi mens eſt *caſta*, paranda tibi.

66.

LUSUS.

Alea dat *paleam*: *curtum* fert *chartula* lucrum:
Quemque juvat *conus*; perſtat ineptus *onos*.

67.

Ad Virginem moroſam.

Baſia nulla *capis*, Juvenes licet illa minentur:
Cur nomen *labiis* * à *capiendo* datum?
Labium à λαβεῖν, capere, apprehendere.

68.

Agrippæ hæreditas.

Uxori moriens *libros* Agrippa reliquit,
Et *liberorum* turbulam:
Non poterat *libram* lecti rellinquere nummi:
Nummos litarat *Libero*.

69.

Interdictum Pontilianæ.

Æneas quondam ſe matutinus agebat: *
Hoc hodie fieri *Pontiliana* vetat.
* *Virg. Æneid* 8.

70.

Leve deorſum tendens.

Quod *leve*, ſe celſum ſublimat ad æthera ſurſum:
Thaide nil *levius*; Tartara ad ima ruit.

Tro-

71.

Tropus Anagrammaticus.

Quærimus; anne *Tropus* tegitur ſub nomine *Portus*;
Quando notat certum littoris ille locum?
Rhetor ait, nullus ſeſe *tropus* exſerit illic:
Aſt Anagrammaticus * monſtrat ineſſe *tropum*.
* *Anagr. Portus: Tropus.*

72.

Conjectura de vocabulo Zerm.

Funebre dixerunt epulum *Silicernia* * Priſci,
In quo *cernebant* ore *ſilere* ſenes.
Hinc noſtrum fluxiſſe putem Zerm/ fronte reſectâ?
Frons perit: haut hodie cœna *Silendo* ſapit.

* Silicernium, *ut Bas. Faber in Theſ. ſuo notat, erat Convivium funebre, quod ſenibus exhibebatur; dictum, quòd edentes cum* ſilentio cernerentur. *Hinc per Aphæreſin vocabulum* Zerm/ *quo noſtrates utuntur, ortum videri poſſet. Alii tamen malunt* Zerm *quaſi* Zehr-Meſs *dici.*

73.

Talitrum.

Sylla ſuæ uxori, figenti baſia mœcho,
Talitrum impegit: ſat leve *tale lytron*!

74.

Oſculum invitum.

Invitè Melibæus anûs premit oſcula labris;
Pro *vetula vitula* baſia ferre cupit.

75.

Tumultus.

Marcule, dum ſemper totâ facis urbe *tumultum*,
Annon *tu multum* ſemper in urbe facis?

76

Alte Libe roſtet nicht.

Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti; *
Antiquo dixit nupta Corinna proco.
* *Virg. 4. Æneid.*

Pro-

77.

Prodigorum Metaphoræ.

Qui ſua *dilapidat* molli patrimonia luxu;
Hic peſſum *lapidum* grandine cæſus eat.
Qui bona *profundit* multò quæſita labore;
Hic animam *effundat* gurgite merſus aquæ.
Qui res *confringit* partas *laceratque* vorandô;
Huic crus carnificis *fregerit* ira feri.
Qui *comburit* opes, & turpi *decoquit* auſu;
Hunc rogus accenſis ignibus *urat* atrox.

78.

Creſcite & Multiplicamini.

Tempore bellorum *mentham* plantare vetamur; *:
Mentula nê plantet vivida, nemo vetat.

* *Ariſtoteles arbitratur, cauſam hanc eſſe, quòd* Mentha *corpori frigus adducat, & ſic fortitudini adverſetur, cùm natura frigidi formidoloſi exiſtant. Eraſm. Chil. 2. Cent. 1. Prov. 95.*

79.

Vinum.

Dat *vitam* modicus *vitis* potantibus humor:
At nimius *vitium vitis* abuſus habet.

80.

Nauta.

Qui brumâ terris; æſtate per æquora vivit
Navita, quale animal dicitur? *Amphibium.*

81.

Phormio: Euphormio.

Phormio proſiliit limâ poliente *Terenti*;
Dignus, ut hunc ſolers mente manuque teras.
Barclai vidit ſtudiis *Euphormio* lucem;
Non minùs is dignus nocte dieque legi.

82.

Bacchus ſemper Juvenis.

Vinô formâ perit; *vinô* corrumpitur ætas: *
Cur Bacchus perpes fingitur ergò puer? †

* *Propertius lib. 2. Eleg ultim.*
† *Ovid. l. 4. Metamorph.*

Mur-

83.

Murria, *perfrictæ frontis mulier*.

Bucco cruentatam frontemque genaſque Maritæ
Lancinat; & rubras imprimit ungue notas.
Nunc ait; huc viſum vicini accurrite cives:
Annon perfricta eſt Murria frontis homo?

84.

Tubus Opticus.

Haut nitidam Phœbi *faculam* ſine labe videmus:
Opticus hâc *maculam* nam tubus eſſe docet.

85.

Mulier mala herba.

Uxorem *Morpheus* verbis & verbere multans,
Et nil proficiens, talia verba dedit:
Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret:
Fœmina, dum ſupereſt, *herba maligna* manet.

86.

In Atheum.

In vivis Atheus *terrenis* ſemper adhæſit:
E vivis *terræ* clauſtra profunda ſubit.
Huic DEUS ætheria ſedem ſuper arce dediſſet;
Sed nullum Cœlô credidit eſſe DEUM. *

* *Ad imitat. Epitaphii Laur. Vallæ; quod vide apud Vollateran. lib. 2. Anthropol.*

87.

In Cibicidam gallum Indicum malè partientem.

Schalpere, Blenne, potes; non autem *Scalpere* fari;
Scindere non igitur, ſchinden fercla potes.

88.

Ad Comites Palatinos.

Eſt rarus Vates, quia præmia *Laurea* dantur:
Aurea ſi dentur præmia; multus erit.

89.

In Criminatorem.

Carmina criminibus dices mea tota ſcatere?
Sunt mea *criminibus Carmina* plena tuis.

Virtus

90.

Virtus *à* Viro : Virgo à Virtute.

Nobilis à nitida *Virgo virtute* vocatur :
Aque *Viro Virtus* nomina clara tenet.
Cumque *Viro Virtus* , *Virgo Virtute* creetur :
Virtutem Virgo debet adepta *Viro.*

Arbor Conſanguinitatis.

Vir.
|
Virtus.
|
Virgo.

91.

Ad Carminipetas.

Muſarum comitem *Bacchum* * conſulta vetuſtas
Finxit, ut Aonias excitet ille Deas.
Cur abit à proavis hæc parca recentior ætas,
Quæ Muſis Bacchum, præmia digna, negat ?
Sæpe quidem *Sponſus*, vel *Lugens fata* Camœnas
Sollicitat ; nullum fert tamen ille merum.
Si poſces iterum Muſam, portato Lyæum :
Hoc ſine frigidius, vel nihil illa canet.

* *Mytholog. Natal. Com. l. 5. c.* 13.

92.

Judex Dorophagos.

Jus nunquam *faris*, niſi *farris* detur acervus :
As niſi donetur, *fas* procul eſſe jubes.

93.

Qui non laborat, non manducet.

Non meret, ut lenti *bucconis buccea* pinguis
Exſatiet *buccas*, *bacca* vel ulla cibet.

94.

Ad Ancum

De Dactylothecis, ſeu Chirothecis Amatrici donatis.

Dactylothecarum Nymphæ par nobile donat
Ancus; & hoc æqui conſuluiſſe jubet.

Nym-

Nympha videns Juvenis coriacea munera, dixit!
Tu retine *thecas*: *dactylon** Ance dato.
* *h. e.* digitum; *& per Synecdochen Partis pro Toto*: Manum.

95.

Optimum cibi Condimentum.

Ignem præcipuum condimentum eſſe ciborum,
Evenus: * dixit *Tullius* † eſſe *famem*.
Philoſophus fuit ille ſagax: *Orator* at iſte:
Hujus, an illius tu magè dicta probas?
* *referente Plutarcho*. † *Cic. de Finibus.*

96.

Jocus Medici.

Decumbens unum modò ſe ſorpſiſſe *vitellum*
Narrat, & hinc medicam flagitat æger opem.
Non eget hîc, inquit Medicus, medicaminis æger;
Qui *parvum vitulum* devorat ore ſemel.

97.

Etymologia Alluſiva.

Eſt monſtrum rabidum Mavors, hominúmq; vorago:
Dicitur hinc *Mavors*: quòd *voret* ille *mares*.

98.

Etymologia Vera.

Mœnia, turritas *Mavors* ſubvertit & urbes:
Hinc, quia *magna* ſolet *vertere*, nomen habet.

99.

Ad Philautum.

Nè *terſus* videare tibi, formáque politus:
Nam tua *Therſiten* tetrica forma refert.

100.

Autor

De ſuis Epigrammatis.

Hic liber eſt *Cœlum*: noſtri ſunt *ſidera* verſus:
Hîc *primæ* lucis ſtellula nulla micat.
Stellula, quæ ſpargat radios, vix ulla, *ſecundos*:
Tertia nonnullis, *quartáque* flamma datur
Hic plures *quintâ* vel *ſextâ* luce coruſcant;
At *nebuloſarum* magna caterva latet.

FRI-

FRIDERICI HOFFMANNI
Silesii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM
EPIGRAMMATI-
CORUM

CENTURIA TERTIA.

Nobili

PATRICIORUM

Pari,

DN. JOHANNI JUNG-
SCHULTZIO:

ET

DN. AMBROSIO
PAYNIO,

Muſarum Deliciis,
Themidos Corculis,
Amicorum Ocellis,

Hunc tertium Thaliæ Epigrammaticæ fœtum

Conſecrat

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

Centuria Tertia.

1.

Epigrammata nonnulla de Literis.

De A. & C. *literis judiciariis.*

Nè me C. * feriat, cùm Judex Chriſte redibis:
A † tunc exhilaret cor, bone Chriſte, meum.

* C. *litera apud Romanos triſtis & nota Condemnationis erat.*

† A. *verò litera ſalutaris, & Abſolutionis nota erat: Vid. Cicer. pro Milon.*

2.

De I. & K *literis infamibus.*

I * furi dabitur, quò li era pendula fiat:
K † faciet Momi frontibus uſta notam.

* *Scaliger & Lipſius putant, Plautum in Aulul. Act.* 1. *Sc.* 1 *ad literam* I. *reſpicere, apud quem Staphyla anus inquit: Ex me unam faciam literam longam; meum laqueo collum quando obſtrinxero.*

† *Olim Kalumniatorum (ſic veteres ſcribebant) fronti K inurebatur: quam literam intelligit Cicero pro Roſcio, ibi: Sed ſi ego bene hos novi &c.*

3.

De M, R, S, *literis belluinis.*

Litera Mũ remanet, quia mugit, propria *vaccis*:
R. creperum ſibimet vendicat ira *canis.*
S. *ſerpentina* protrudit ſibila linguæ:
Quis jam literulas bruta tenere neget?

4.

De Θ & Π *Græcorum literis pœnam indicantibus.*

Mortiferum multis incuſſit Θῆτα * timorem:
Attulit & multis Πῖ † laqueuſque necem.

* Θ *Eſt*

* Θ *Eſt prima litera Nominis* Θάνατος; *& nota condemnationis.*

† *Hinc vulgatum: I in Græcum* Π, *id eſt, in Patibulum, cujus figuram refert.*

5.

De O *&* Q *literis ruſticis.*

O clamat, ſiſtens tauros auriga quadrigis:
Sed *Q* clamoſus paſtor in ore gerit.

6.

De N. L. *literis dubiis.*

N. L. * ſcribebat judex, niſi cauſa patebat:
Scribitur hæc aliis litera bina viris.
Theologi & Medici ſe multa latere fatentur:
Philoſophi *occultum Quale* † ſubinde citant.

* *N. L. hoc eſt: Non Liquet.*

† *Phyſici ea, quorum cauſas ignorant, ad Occultas Qualitates referunt.*

7.

Juvenalis: Seneca.

Offertur Nymphæ *Seneca* & *Juvenalis*; ut ipſa
Eligat, & dicat: tu mihi ritè places.
Hæc miſſô *Seneca Juvenalem* legit, & inquit:
Huc *Juvenis* venias: aufugiâſque *Senex*.

8.

De Medio, calumniatore in aula Alexandri.

Medius infamis dentatæ crimine linguæ,
(Sic *me-dia* fides!) non tenuit *medium*.

9.

Curtius: *Longolius*.

Longolius * quamvis optem vel *Curtius* † eſſe:
Eſſe tamen neutri par mea Muſa poteſt.
Curtius ut nè ſim, vetat ignorantia *longa:*
Nè ſim *Longolius*, vis mihi *curta* vetat.

* *Chriſtoph. Longolius Belga, Orator inſignis.*

† *Qu. Curtius, Hiſtoricus nobilis.*

10.

Lis Juridica.

Impegit capiti *Corpus Civile* Myconiš
Sempronii fremens furor.

Codice

Codice Juridicô confoſſô vertice, fecit
Paragraphus Paragraphum.

11.

Anagr.

Ehre: Rehe.

Non malè *capreolis* decus aſſimilatur *honoris:*
Caprea namque fugax: ſic fugitivus *honor.*

12.

Loqui: Silere.

Lex *ſiluiſſe* * jubens tacitas evertit Amyclas:
Nè pereas; juſtô tempore diſce *loqui:*
Multa *loqui* † contra Grajas corrupit Athenas:
Nè pereas; certô diſce *ſilere* modô.
Ut *ſiluiſſe* nocet; nocet ut nimis eſſe *locutum:*
Sic *ſiluiſſe* juvat: ſic juvat apta *loqui.*

* *Servius ſuper lib.* 10. *Æneid.* † *Vide Plutarch. de Garrulitate.*

13.

Ovidius.

Quô mihi ſit *numerô numeroſus Naſo*, fatebor;
Hic *ô-vi-dius* creditur eſſe mihi.

14.

Doctorandus.

Doctoris mitram votis ardentibus ambis;
Cùm tamen haut rectè verba Latina ſtruas.
Heus, tua quàm conſtent Latiali dicta nitore,
Evades triplici * Doctor in arte prius.

* *Frider: Taubmannus de ſententia etiam Eraſmi: Dicere non vereor, inquit; Facilius eſſe, in triplici Facultate Doctorem hodie fieri, quàm Orationem Romanam elaborare.*

15.

Strenuus Potator.

Ventris onus replendo cibis, *pulcréque bibendo*,
Nonne tumens farcis, ceu *Calepinus*, * opus?

* Καλὸς *pulcer:* πίνω, *bibo.*

16.

Mors Univerſalis.

Non per *agros* tantùm plures mors opprimit *agros:*
Nenia trux intra *mœnia* ſæpe ſonat.

17.
Laus: Fraus.

Bina modô ſimili reſonant hæc Nomina, *Laus, Fraus:*
Fœmineúmque Genus nomen utrumque tenet.
Vendicat iſta ſibi muliebris nomina ſexus:
Fœmina *laudis* avens: Fœmina *fraude* valet.

18
Reciprocatio Verborum.

Quod Græci vocitant ἀργὸν; Faul Teuto vocabit:
Teuto quod Arg dicit; Græcia φαῦλον ait.

19.
De Quodam.

Hungarus enectus rabie famis occubat umbris:
Sic periit *gentis nomine** fractus homo.
* Vom Hunger.

20.
Auguſtus: Auguſtinus.

Tota *Auguſtinum* certans Eccleſia Patrem;
Res-velut *Auguſtum*-publica tota colit;
Clarus uterque fuit: dubites, eluxerit utrum
Clarior Ille Chorô: clarior Iſte Forô.

21.
Vir & Fœmina ſuffocati.

Fœmina prona* fluit; ſubmerſus *Virque ſupinus:*
Quàm diſpar vitæ mors venit illa ſuæ.
* *De cauſis hujus rei vide Cal. Rhodig. antiq. lect. lib. 2. c. 10. & Petr. Meſſiam de Sevilia Sylva Var. lect. p. 1. c. 14.*

22.
Adulator.

Pejor *Adulator* crocitanti eſt beſtia *Corvo:*
Hic vorat *exanimes:* ille *animata* vorat. *
* *Demoſthenis effatum.*

23.
In Fucatam.

Fœmina ceruſſis faciem fucóque colorat:
Et madidum unguentis irrigat uſque caput.
Accipe, quæ mulier gratos exhalet odores;
Quæ nil prorſus olet fœmina; dulcis olet.*
* *Plaut. in Moſtel. Act. 1. Sc. 3.*

In

24.
In Ollum.

Quòd ſimilem Bacchô vocitârim, ringitur Ollus:
Se dicit nullô labra rigare merô.
Mitte bilem: Bacchum non partibus omnibus æquas:
Reſpondet ſolum cornibus, Olle, caput.

25.
Penus,

Cur *Penus* eſt *terni Generis?* quia veſcitur auctô
Vir, Mulier, Brutum quod libet uſque *penu*.

26.
Aliud de Eodem.

Per *Generis variat, Declinandíque* figuras,
Quod rebus *variis* conſtet adaucta, *Penus.* *

* *Hoc Penum, i. Decl. 2. obſoletum.*
Hoc Penus, oris: Decl. 3.
Hic & Hæc Penus, ûs: Decl. 4.
Sed Hic Penus, i. Decl. 2. planè rejicitur à Voſſ. de Vitiis Serm. lib. 1. cap. 15. in fine.

27.
Donum.

Phillidi *Carneades* datus eſt à Memnone dono:
Carneades potiùs; Memnoni Phillis ait.

28
Noverca injuſta.

Verticis arce *piam** fers horrida Gellia *matrem*;
Cur *pia* non miti pectore *mater* ineſt?

* *Phyſici Meningem, ſeu Membranam exteriorem cerebrum contegentem appellant* piam matrem.

29.
Pulli.

Pipio dicta gruis; ſed *Pipio* dicta columbæ
Eſt ſoboles: vocem gignit utramque ſonus.

30.
Ubi deſinit Politicus, ibi incipit ICtus.

Ponticus excelſas *Juris* ruit acer in arces;
Nec limen *Poleos* contigit ante fores.
Scilicet invictam muris contendit ad urbem:
Portâ intromitti non tamen ille cupit.

31.

Ad Damoclem, Dionyſii aſſentatorem, cujus cervici gladius ſet.â equina appenſus impendebat, Cic. l. 5. Tuſc. Quæſt.

Nè *ſine* ſis *cura*; impendet peracuta *ſecuris*;
Securis nimiùm ſæva *ſecuris* obeſt.

32.

Ad Quendam.

Ecquid *imaginibus fumoſis* atria *pingis?*
Nam ſunt *picturæ, fumus, imago*, tuæ.

33.

Cicatrix.

Martius exiſtit Gallorum *Narbo* * ſub oris;
Hunc † hodie quivis corpore miles habet.

* *Urbs Galliæ Braccatæ*; *vulgò Narbona.*
† *i. e.* **Eine Narbe** / *cicatricem.*

34.

De Albino.

Incidit in foveam limôque *lutóque* ſcatentem
Albinus; corpus ſordibus omne *nigrat.*
Non poteram hôc viſô riſum compeſcere; namque
Albinus verſâ ſorte *Nigrinus* erat.

35.

Pœna à Colluſoribus irrogata.

Ludenti Marco dictatur pœna; Corinnæ
Ut dextrâ attingat candidiore *genas.*
Ille *genu* properat contingere pollice dextrô;
Scilicet huîc unum eſt tum *gena*; tumque *genu.*

36.

Ad Viros Ornatiſſimos, quibus Epigrammata inſcripta ſunt.

Non mea difficili ſacrat ſe Muſa ſenectæ:
Tendit ad ætatis flore virente Viros.
Scit *lepores* præferre Senes; non ferre lepóres:
Scitque *ſali* Juvenes propoſuiſſe *Sales.*

37.

In Philologaſtrum.

Ridiculum eſt; tibi quòd deducta ſit inde *Locuſta*: *
Quod teneat *longos ut* teres *haſta* pedes.

Bee-

* *Becman. ait: Locuſtæ dicuntur, quòd fruges depaſcendo* loca *omnia, quæ inſident, veluti* uſtulent.

38.

Frigus hibernum.

Non caput in brumæ *Mithridates* frigore ſervat:
Si ſervare velis; ſit tibi *Mitridotes.*
* *id eſt, Mitra dator.*

39.

Paragoge: Apocope.

Divitias ſcelerata manus corradit *avari:*
Conſumit contrà *prodigus* omnis opes.
Scilicet addendô *Paragogen* callet avarus:
Prodigus *Apocopen* * dilapidando facit.
* *Prima per Ectaſin producitur.*

40.

Ovid. lib. 1. de Arte.

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro;
Vicinúmque pecus grandius uber habet.

Ad Imitationem, de Mœcho:

Floridior torus eſt aliena ſemper in æde:
Viciníque decus pulcrius uxor habet.

41.

Aſſentiri: Aſſentari.

Fas *aſſentiri* verace loquentibus ore:
Aſt *aſſentari* turpe Gnathonis opus.

42.

Fortuna.

In quacunque *plaga* fortunæ *plaga* timenda eſt:
Sors etenim triſtes tendit ubique *plagas.*

43.

In Poëtam furacem.

Non *apis* es Vatum; propriô nec *melle* redundant
Carmina; cum *fucus* nam mála furta facis.
Deſine furari ſua carmina *fuce* Poëtis:
Sis *apis*: ingeniô collige metra tuô.

44.

Non concupiſces.

Invidus alterius rebus macreſcit opimis: *
De Bavii verum Conjuge, Plancus ait.
* *Hor. 1. Epiſt. 12.*

45.

De quodam Philoſophiæ Magiſtro.

Eſt in *Ariſtotelis* Paphnutius *arte* Magiſter:
Naſonis conjux *arte* Magiſtra præit.

46.

Mos: Mors.

Mos vim prægrandem: *Mors* vim ſimul obtinet amplam:
Parendum eſt *mori:* lex quoque fixa *mori.*

47.

Recipe; pro mala Muliere.

Vicini uxorem mores mutare profanos
Rhetoris incaſſum mellea Suada rogat.
Mox percuſſa trucis mulier mala fuſte coloni
Ad meliora boni pectoris acta redit.
Quò non *verba* queunt perducere, *verbera* ducunt;
Quod non *Orator*; præſtat *Arator* idem.

48.

Diluvium.

Tempore Diluvii manſit Noha ſalvus in *arca*;
Hanc extra nemo ſalvus in *arce* fuit.

49.

Conjugium Myſticum.

Cœlicus excelſô genuit *Pater* æthere *Natum*;
Quin habet & *Natam* cœlicus ille *Pater.*
Nata fuit *Patris* deſponſa *Eccleſia Nato*;
Non licet hoc homini; ſed licet omne DEO.

10.

Pax: Bellum.

Dividit unanimes Bellum; Pax diſſita jungit;
Iſta *Synæreſis* eſt; Illa *Diæreſis* eſt.

51.

Lactuca.

Martial. lib. 13. *Epigr.* 14.

Claudere quæ cœnas *Lactuca* ſolebat avorum;
Dic mihi, cur noſtras inchoat *illa* dapes?

Dicam.

Ratio Veterum, ad Hexametrum.

Vim vini reprimens affert *lactuca* ſoporem
Humiditate ſuâ, frigiditate ſuâ.

Ratio

Ratio Recentiorum, ad Pentametrum.

Ferventis ſtomachi *lactuca* refrigerat æſtum;
Et facit, ut poſitas appetat ille dapes. *
* *Vide* Artzgarten *Antonii Mizaldi, m. p.* 12.

52.
Laurus.

Diſtribuunt *Vates* & *Baccalaureus* omnes
Inter ſe, laurus quas habet arbor, opes.
Nam *bacca* fructum ſibi *Baccalaureus* aufert;
E *foliis Vates* vertice ſerta gerit.

53.
In Marculum.

Nomine *majori* ſcribit ſe Marculus *ICtum*:
Si cadat incipiens litera, vulnus habet.

54.
Bähren Häuter.

A bellis quoties pubes Germana quievit,
Feſſaque pacificis condidit arma focis;
Tum ventrem paſcens, & molli dedita ſomno
Pellibus urſinis * otia duxit iners.
Hinc homo pigreſcens, nullâque exercitus arte
Urſinæ incubitor pellis in orbe cluit.
* *Vid. Tacit. de Morib. German.*

55.
Strena.

Aurum dent alii; libros [illegible] donat Apollo;
Accipe *Plutarchum*, * *Macrobiúmque* † ſenem.
* *i. e. divitiarum principem.*
† hoc eſt, *longævum.*

56.
Jus Sanctum.

Jus dicens *DEUS* eſt, qui fatur *Numinis* ore;
Hinc *Jus*, ceu *Jovis os*, dicere fortè potes.

57.
In Phormionem.

Diſcere virtutem flagras? *audire* labores;
Auditu virtus prenditur alma citò.

Apta prehendendis *auris* virtutibus *anſa* eſt :
Neglectâ hâc *anſâ*, * Phormio, *ganſa* manes.

* *Plutarch. de audiend. Poëtis ; Aures virtuti anſa ſunt.*

58.

Sophiſma. *

Omnis homo mendax, exclamat voce Propheta :
Si verum eſt ; mendax ipſe Propheta fuit,
Et ſic hæc pariter fuerit ſententia mendax ;
Quòd dici *mendax* debeat *omnis homo.*

* *Vid. Reſponſ. apud Stengel. de Bon. & Mal. Syllog. Part. altera* §. 16. *p. m.* 101.

59.

Aliud.

De verſu Epimenidis Cretenſis citato Epiſt. ad Tit. c. 1. *v.* 12.

Si Cres eſt ſemper mendax ; mentitus & ille
* Cres, qui mendaces nonniſi Cretas ait.

* *Vide eundem Georg. Stengel. cit. loco.*

60.

Marcus Pohl ,
per Anagr.
Marcolphus.

Crebrò, Marce, jubes elementis fingere verſis
In Nomen quadrans nos anagramma tuum.
Marce, tuum nolo infelix convertere nomen :
Si tamen inſtandô nomina verſa cupis ;
Accipe, quòd venit noſtris Anagramma Camœnis :
Marcolphum nomen te, bone Marce, facit.

61.

In Umbrum, Poëtam bliteum.

Cùm non ſis *Vates* ; *Fatuus* ſed maximus, Umber ;
Te quoque non *laurus*, ſed magè *larva* decet.

62.

Plin. lib. 18. *nat. hiſt. c.* 58.

Plinius eſſe *lupos* in Creta pernegat ullos :
Præſtaret, Cretâ ſi neget eſſe *lupas.*

63.

Impius : Atheus.

Impius atque *Atheus* parvô diſcrimine diſtant :
Non hic *agnoſcit* : non *colit* ille DEUM.

64.

Complimentum mendax.

Te *Servitorem* * millenis vocibus offers :
Seria ſi res eſt ; dic modò, Marce, ſemel.
Dimittam ſervum, mihi qui mercede laborat ;
Tu gratis noſter ſervulus eſſe potes.
* Des Herren Diner : Dem Herren zu dienen.

65.

Diogenes.

Lemma ſuis Laribus famoſus ſcripſerat hoſpes :
Nè quod tranſiliat limina noſtra malum.
Hôc Cynicus Sapiens perlectô lemmate dixit ;
Ergò nec hos Hoſpes debet inire Lares.

66.

Nemeſis.

Qui geſtat fœdum ſceleratô pectore crimen ;
In tergo Nemeſin jugiter ille gerit.

67.

De Sorore natu minore & formoſa, ante majorem natu deformem Viro nupta.

Optima prima fere maribus rapiuntur avaris *
Accipiunt ſeros deteriora procos.
* *Ovid.*

68.

Fides hoſti ſervanda.

Regulus Attilius redit ad Carthaginis urbem ;
Atque datam renuit fallere, Pœne, fidem.
Taliter hoc ſèclo fidum quem viderit hoſtis ;
Regulus haut tantùm ; *Rex* vocitandus erit.

69.

In Philoſophaſtrum.

Philoſophum quiſquis *ſolidum* te dixerit, errat :
Philoſophum *ſtolidum* ſi vocet ; error abeſt.

70.
Damon deceptus.

Ambulat in tenebris indagans Phyllida Damon;
 Et quærens ſolitô corcula grata locô.
Ipſe videt truncum, ſe cernere Phyllida credens,
 Et petit amplexus, ſtipitis umbra, tuos.
Ut Jovis Ixion prenſat pro conjuge nubem:
 Phyllide pro vera ſic capit ille trabem.

71.
In Ottonem.

Limina cervinis Otto cur cornibus ornat?
 His, velut in ſpeculo, ſe bonus Otto videt.

72.
De Ollo
Curtos ſimulante, Bacchanalia vivente.

Et vultu & verbis callet ſimulare *Catonem*;
 Sed vitam, veluti *Porcius*, * Ollus agit.

* *Porcius Catonum familiæ gentilitium cognomen fuit.*

73.
Ad Muſicum.

Ludere, ceu *fidibus* calles, Menedeme, canoris;
 Sic homines *ludis* decipiendo *fide*.
Nè tu *lude fide*; *fidibus luſiſſe* licebit:
 Tertia * fac ludat; ludere *Quinta* neget.

* *Tertia reſpicit Nomen Fides, ium 3. Decl. & ſimul alludit ad intervallum Muſicum, quod Tertiam vocant. Idem dictum eſto de Quinta.*

74.
Ad Epicuréum otioſum.

Degere torpentem jucunda per otia vitam
 Dicis, & haut hominum cernere facta DEUM,
Grande nefas; ſummo de Numine talia fingi:
 Eſſe putas talem, qualis es ipſe, DEUM?

75.
Sitientes.

Dum prior ad cyathi *rivum* contendit uterque:
 Rivalis * dici potor uterque poteſt.

* *Rivales ſunt, qui habent eundem rivum communem.*

76.

Arcana pectoris.

Quis ſperet, tua *ſe cretâ ſecreta* notare,
Aut *limâ rimas* quærere poſſe tuas?

77.

In Pediculoſum.

Tot pedibus ſenis implent tua pallia vermes:
Quot formicarum millia lucus habet.
Nomina ſi rebus dare convenientia præſtat,
Hæc tua *perpetuum mobile* veſtis erit.

78.

In Imberbem.

Fœmina Pancratio *barbam* moroſa revellit:
Non tangent mentum tanta pericla tuum.
Te Sol *barbatum* nondum conſpexit ab axe:
Imberbis vitâ ter tria luſtra vides.

79.

Fides Punica.

Eſt *pœnâ* dignus *Pœnus*, quia fallere ſuevit;
Unica præ reliquis *Punica* vana fides.

80.

Scutum Ridiculum.

Caſeus * exemtis populo dat ſcutá medullis,
Quem tenet occidui terra remota Poli?
Crediderim forſan; ſi præſtent arma *placenta*,
Puráque ferventi toſta *farina* focô.

* *Olaus Magnus Hiſt. Sept. lib.* 13. *c.* 8. *ait. Cruſtas caſeorum quibuſdam populis ſeptemtrionalibus vicem ſcutorum præſtare.*

81.

Ad Furviam.

Furvia nigra cutem cupias albeſcere? fies
Candidior cygnô, candidiorque nive.
Poppæam uxorem ſollers imitare Neronis:
Quingentas aſinas, *Furvia*, ſemper ale.
Lacte genas aſinæ faciemque lavato nigrantem;
Et totum corpus maceret ille liquor.
Si mulgens aſinas candore lavabere lactis;
Candida tum fies; *ô aſinina ſoror*,

82.

Nemo impune peccat.

Pœna gravis peccata manet: ſi *noxia* turpis
Præceſſit, ſequitur *noxia noxa* comes.

83.

De Faſtu; ad Philologos.

Heu malè Philologis veniunt *faſtidia faſtu.*
Faſtidit faſtum nullus in orbe malum.

84.

Cereviſia.

Italus audierat, potum quod Teuto pararet
E *lupulo*, Cereris germine, fontis aquâ.
Non ait, ulla tui libabo pocula potûs,
Si coquis hôc *catulos*, ſordide Teuto, *lupos.*

85.

Apis.

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcet,*

Uxor.

Ignavum Socios pecus à complexibus arcet.
* *Virg. 1. Georg.*

86.

De Adamo N: Viduo.

Si nunc in vivis primus ſupereſſet Adamus,
Haut viduus ſociam ducere poſſet Adam.
In vivis viduus ſupereſt nunc alter Adamus:
Ipſe poteſt, ſociam ſed petiiſſe timet.

87.

In Glauconem,
Theſes ineptas exhibentem.

Dat mihi Glauco *theſes* aurata *pelle* miſellas;
Det Glauco *pellem*; ſed retineto *theſes.*

88.

Plinii Mors.

Dum propè *Veſevi* ſcrutatur Plinius æſtum;
Va-ſevus ſummum Mons cremat igne Virum!
* *Alias mons ille Veſuvius vocatur.*

89.

De Bonoſo Imperatore & Juda.

Fune, bibax animal, nectens ſua colla *Bonoſus*,
Suſpenſus *pendens Amphora* dictus erat.
Quomodo tu *Judam* ſuſpenſum reſte vocares?
De laqueo *pendens* nonne *Crumena* fuit?

Feſcen-

90.
Feſcennini.

Carmina ſpurca canis, *Veneriq́ue* dicata ſalaci:
Præſtaret, *Veneris* te dare metra *Viro*, *
* Scil. *Vulcano, Veneris Marito.*

91.
De Marco & Marcello.

Livius exponit *Marcellum*; Biblia *Marcum*:
Prominet hic illo major; at ille minor.
Cur? quia *Marcellus* belli virtute refulſit:
At *Marcus* docuit cum pietate fidem.

92.
In Gulonem inſipientem.

Si tibi mens *ſaperet*, veluti *ſapit* ore palatum;
Tu *Sapiens* dici ſummus in orbe queas.
At *ſapit os* tantùm; mens pectore *deſipit* imô;
Hinc *Comedo* & *Fatuus* maximus eſſe potes.

93.
Carneolus.

*Carneolus** digitum flammis radiantibus ornat:
Sed ſtomachum junctâ *carne*-juvabit-*olus*.
* *Alias gemma hæc Sardonyx vocatur.*

94.
Ad Medicum.

Balſama, quæ fractis producant tempora, *vitæ*
Tradis? & avertant quæ nigra fata procul?
Heu nimis *invitè* ſumo tua balſama vitæ;
Des *ex vite* mihi balſama; grata bibam.

95.
Eloquentia: Pecunia.

Ut bene *nummatum* decorat *Suadela*: * viciſſim
Suadelam nummus ſic decorare poteſt.
* *Horat.* 1. *Epiſt.* 6.

96.
Clauſula Epiſtolaris.

Attica læta meis capiat tua ſuavia verbis:
Sic finit ceram Tullius * ipſe ſuam.

Bella

Bella ſatis ſcriptæ talis Concluſio chartæ:
Omnia ſic claudi nuncia ſcripta velim.

* *Cic. Attic. l. 16 ep. 11. Atticæ, quoniam hilarula eſt, meis verbis ſuavium des. Vale.*

97.

De Curcullione.

Continuas ſomnô peragit Curcullio noctes;
Inque die medio membra quiete fovet:
Nec tamen hunc rectè culpes; *in utramque quòd aurem Dormiat:* hanc fixit lictor utramque trabe.

98.

Variatio Poëtica

Diſtichi Ovidiani lib. 2. Triſtium:

Si, quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter; exiguo tempore inermis erit.

1.

Variatio 1.

Si, quoties peccat viſu, effodiatur ocellus:
Mundus in exiguo tempore luſcus erit.

2.

Si, quoties fallit, reſecetur gutture lingua;
Mundus in exiguo tempore mutus erit.

3.

Si, quoties raptat, tollatur corpore dextrâ;
Mundus in exiguo tempore mancus erit.

4.

Si, quoties titubat, crus frangeret illicò quivis:
Mundus in exiguo tempore claudus erit.

5.

Si, quoties ægrotat homo, moriatur & æger:
Mortuus exiguo tempore mundus erit.

6.

Si, quoties ningit, ducatos ningeret æther:
Aureus exiguo tempore mundus erit.

7.

Si, quoties plorat mulier, pluat illicò Cœlum:
Merſus in exiguo tempore mundus erit.

Si,

8.

Si, quoties ludit, ſua quiſque numiſmata perdat:
  Nullus in exiguo tempore luſor erit.

9.

Si, quoties bombarda ſonat, vir concidat ictu:
  Miles in exiguo tempore nullus erit.

10.

Si, quoties ridet virgo, tibi nubere vellet:
  Cœlebs exiguô tempore nullus erit.

11.

Si, quoties juvenes dant oſcula, ſtigma maneret:
  Stigmaticus parvô tempore mundus erit.

99.

Sylvæ Cæſæ.

Aurea fugerunt: *argentea* ſecula ceſſant:
  Lignea ſylvarum ſecla ruina facit.

100.

Autor de Epigrammatibus.

Non ſunt cuſa bonis Epigrammata noſtra metallis:
  Mars quoniam nitidi ſuſtulit æris opes.
Tempora cùm nobis Pax nobilis aurea reddet:
  Carmina de maſſa nobiliore feram.

FRI-

FRIDERICI HOFFMANNI
Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA QUARTA.

Nobiliſſimis,

Spectatiſſimis, & planè Eximiis

VIRIS,

DN. SAMUELI TRAVEL,

ET

DN. THOMÆ WENYEUE,

Fautoribus & Amicis ſuis, omni officiorum genere proſequendis

Hanc Epigrammatum farraginem

Nuncupat

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA QUARTA.

1.

Sapientia eloquens, & Eloquentia ſapiens.

NOn ſe futilibus jactat facundia nugis;
  Sed de prudenti pectore dicta fluunt.
Eſt bonus Orator ſapiens, & ſingula librat:
  Pittacus eſſe ſtudet: *Pſittacus* eſſe negat.

2.

Δωροφαγία.

Palma poteſt arbor *curvari* pondere nullô:
  Fit tua *palma* datô munere *curva* ſatis.

3.

Paraſitus.

Semper agis *Satyrum*, Magnatum ut fercula captes:
  Et ventrem *ſaturum* ſemper habere queas.

4.

In Quendam torque ornatum.

Aurô flaveſcis: quare *torquatus*, an autem
  Rectiùs *arquatus* ſis, dubitare licet.

5.

A Lady; id eſt, Domina, Heroina.

Lady vocant Britones generoſam corpore Nympham,
  Æmula quòd *Ledæ* præbeat Angla decus.

6.

Vinum Hiſpanicum, quod Seck *vocant.*

Profluit Hiſpano ſapidum de palmite Nectar:
  Quod *Seccum* à *ſucco* nomen habere reor.

7.

De licentia poëtica Marculi.

Syllaba quæque brevis longô tibi, Marcule, tractu
  Ducitur: hoc nobis *Ectaſin* eſſe refers.

Tali-

Taliter audendi tibi non eſt æqua poteſtas:
Ectaſis * hoc non eſt: *Ecſtaſis* † eſſe poteſt.

* *Ectaſis ab* ἐκτείνω, extendo, *eſt productio ſyllabæ naturâ correptæ: & ſic quidem Figura Proſodica; non tamen citra autoritatem & neceſſitatem temerè uſurpanda.*

† *Ecſtaſis* ἀπὸ τοῦ ἐξίστασθαι, ſtatu dejici, *eſt mentis emotio ſeu inſania & furor. Quod non Lectori docto, ſed Tironi* φιλίστορι *adſcribo.*

8.

Donatus.

Edidici quondam *Donatum* prorſus ad unguem:
Sed mihi nil *donant* nomina falſa libri.

9.

Sincerus Patriota.

Qui bonus eſt Civis, patriam virtutis honore
Nobilitare ſtudet, *mobilitare* timet.

10.

Bellorum Continuatio.

Naſcitur ex bello bellum, lis lite reſurgit:
Dum *gerit* ille vetus; jam *ferit* iſte novum.

11.

Bona Fortunæ.

Stemmata, nummus, honor virtuti ſæpius obſunt:
Sæpius huic proſunt ſtemmata, nummus, honor.

12.

In Ichthyophagum.

Miramur, ſub aqua ſubeat cùm retia piſcis,
Cur neque diviſos ſntret in urbe Lares?
Deſino mirari: *pinnis* in retia tendit:
Cùm careat *pedibus*, currere neſcit humô.

13.

Margarita.

Unio circumdat *Venerem*, non colla Virorum:
Nam patriâ *Veneris* naſcitur ipſe mari.

14.

Ebrietas non excuſat.

Te non ebrietas abſolvet crimine potor:
Ni tua *Cupa* * foret; nec tua *Culpa* foret.

* *Vas vinarium.*

Au-

15.

Aureum Seculum.

Aurea *Saturno* quondam viguiſſe ſub *uno*
Secula, Pierii concinit ordo chori.
Aurea cur neſcit præſens hic ſecula mundus?
Saturnis regitur *pluribus* orbis opus.

16.

Cornutus.

Non dat Jova quidem *taurum per Cornua:* multis
Per ſua ſed *vitulum Cornua* ſæpe dedit.

17.

Diverſa vitis Etymologia.

Vult à *vitando vites* abſtemius eſſe:
A *vita vites* ebria turba trahit.

18.

Ein beſoffenes Schwein.

Cum *Phorcus* * fuerit Neptuni filius; æquum,
Ut *Porcus* Bacchi filius eſſet, erat.

* *Myth. Nat. Com. l.* 2. *c.* 8.

19.

In Zoilum:

De præcedentis Diſtichi & Similium Germanico lemmate

Diſplicet in noſtris Germanica vocula metris:
Hinc, quaſi Germanis ſint modo ſcripta, notas.
Rem bene tangis acu! Germanis talia ſcribo:
Et *tibi*, dico *tibi*; Sic *tibi*, ſcribo *tibi*.
Judicium ſuſpende tuum pôſt frivole judex:
Kuhdicium, dicam Teutonis ore, puto.

20.

Luſcus Amator.

Oſcula cùm Corydon Cajæ det luſcus; an ipſam
Baſia dans *luſcus*, num *baſiliſcus* amat?

21.

Αὐτάρκεια.

Quod-mihi-cunque bonum vaſti Rex *ſufficit* Orbis,
Hoc mihi *ſufficiet*, Numine dante, bonum.

22.

Conjugata.

Militia & *Bellum* ſignant rem prorſus eandem :
Sic igitur *Miles Bellua* prorſus erit.

23.

Paupertas bonæ mentis Soror.

Subſtantiva quidem numerant compluria Docti :
A *Subſtantivis* nemo videtur inops.
Parva ſed illorum replet *Subſtantia* * ciſtas ;
Subſtantiva tenent : quod bene *ſubſtet*, abeſt.

* *Subſtantia interdum pro Divitiis ſeu facultatibus ſumitur, quæ Græcis ſunt* τὰ ὑπάρχοντα.

24.

De Lipſia & Lipſio.

Lipſia ceu præſtans eſt gloria Saxonis oris :
Gloria ſic Clario *Lipſius* ampla gregi.

25.

Anagr.

Procus : Porcus.

Et *Veneri ventríque* litas : quid turpius eſto ?
Te facit hic *porcum* : te facit illa *procum*.

26.

Damœtas Virgilianus

Eclog. 2.

Eheu, quam pingui macer eſt mihi taurus in *arvo* !
Neſcio, quis teneros *Oculus* mihi faſcinat agnos.

Avarus.

Eheu, quam dulci macer eſt mihi vultus in *auro* !
Neſcio, quis validos *loculus* mihi devorat artus :

Autores Poëticæ Gieſſenæ inquiunt : Proderit, ſi in hiſce tenuioribus ſeſe quotidie Adoleſcentes exercuerint, atque ita ad graviores Parodias aſſuefaciant.

27.

Poëma Sententioſum

Quæ ſtruis, ut populo placeant tua carmina, poſcis ;
Sed tua vix populo metra placere queunt.
Nam vacuis numeris ſententia nulla ligatur :
Omne *Poëma* placet, quando *Noëma* ſubeſt.

28.

De Gallo à literis abhorrente.

Novimus antiquos *gallum** ſacrâſſe Minervæ:
Miror, te veterum nolle ſtatuta ſequi.

* *Pauſanias in prioribus Eliacis.*

29.

Pulviſculus odoratus.

Pulvis in ornatis ſparſus qui crinibus hæret,
Rectiùs an *pouder* dicitur? anne *pudor?*

* *Galli vocant pouldre.*

30.

Multi duces Cariam perdiderunt,
Cic. pro Flacco.

Eſt quondam ducibus deperdita *Caria* multis:
Cara ceu periit; *Curia* ſæpe perit.

31.

Umbra Convivalis.

Sextius invitat Battum; venit ipſe, duóſque
Adducit comites, quos bonus odit Herus.
Hîc herus; ô famuli plures accendite lychnos;
Plurima nam menſas occupat *Umbra* meas.

32.

Germ. Proverb.

Vogel ſtellen verderbet manchen jungen Geſellen.

Quiſquis *Chaonias* ſectatur amare columbas;
Deſinet *Aonias* gnavus amare Deas.

33.

Uxor pudica.

Felix ille quidem, cuî fœdere *Coſta* jugâtur;
Fauſtior ille tamen, cuî quoque *Caſta* datur.

34.

Gellii & Gelliæ Lucubratio.

Inſomnis Autor *Gellius*
Noctes amavit *Atticas*.
Inſomnis alma *Gellia*
Noctes amabit *Practicas*.

35.

In Sacerdotem ebrioſum.

Non genito ſervire Patri ſuper omnia debes:
Et Natum *Unigenam* Patris amare Dei.
Sed tu *bis genito* * ſervis Symmyſta, Deaſtro:
Quis non te reprobum *terque quaterque* videt.

* *Id eſt, Baccho, de quo Ovid. l.* 3. *Met.*
Turáque *bis geniti* ſunt incunabula *Bacchi.*
Conſule hic *Myth. Com. l.* 5. *c.* 13.

36.

Querela Ruſtici à milite percuſſi.

Pax, pax optatur fruſtrà; dum militis horror
Tax tax in tergo detonat uſque meo.
Plaut. in Perſa: Tax tax erit in tergo meo.

37.

Epicuréus.

Nil aliud curas, quàm luxu paſcere *ventrem*:
Et quæ ſub molli ſubdita *ventre* latent.

38.

Ad Ciceronem relegatum & revocatum.

Sors levat atque premit: tu, Tulli, es *Conſul & Exul*:
Exul es & *Conſul*; ſors premit atque levat.

39.

Studioſus Perverſus.

Unica te torquet totis hæc cura diebus,
Quî repleas Bacchi flumine ventris onus.
Nocte ſub obſcura curris veſanus in urbe:
Sic es luce *Bibo*: veſpere *Bubo* vagus.

40.

Bellorum Cauſa.

Eſt *Regio textus*, bellique potiſſima cauſa;
Eſt modò *prætextus Religionis* amor.

41.

Miraculum in nuptiis Cananæis.

Hydra Poëtarum celebris; magis *hydria* Canæ;
Hydria nam Bacchum protulit; *hydra* caput.

De

42.
De Semiramide.
Viſa *Virago* fuit, ſi bellica geſta revolvas;
Si luxum & Venerem, tetra *Vorago* fuit.

43.
Muſeum Frigidum.
Gymnaſiii gelidis Muſæ penitralibus algent;
Et miſer in tanto friget Apollo gelu.
In celſo quondam delegit vivere *Monte*;
In *Sylvis* hodie mallet ineſſe Deus.

44.
Irritæ Rebellionis machinæ.
Imbellis ſolet eſſe dolus plerumque *rebellis*:
Actio, quam patrat *factio*, caſſa ruit.

45
De Præfecto illiberali.
Munere tu *præſtas*; nulli ſed *munera præſtas*:
Magnus es *Officiô*: parvus ab *Officiis*.

46.
Jocus in Quendam.
Sæpe *Magiſterium Perlarum* gutture ſorbes:
Ergò *perlatus* quando *Magiſter* eris?

47.
Comparatio Poſtillionis & Poſtillatoris.
Poſtillatori ſimilis *Poſtillio* prodit:
Ova nec Ova magìs poſſe referre puto.
Nam ceu ſemper equi preſſat *Poſtillio* dorſum:
Sic *Poſtillator* conſidet uſque librô.
Et velut abſolvit properè *Poſtillio* curſum;
Sic *Poſtillator* dicta repentè ferit.

48.
In Poëtam ineptum.
Vis *Epigrammaticos* hodie *connectere* verſus?
Heus! Cras *Grammaticos* nectere diſce prius.

49.
Pittacus. Sponde, noxa præſto eſt.
Qui ſe dat *prædem*, tradit ſe, vel ſua, *prædam*:
Quique *vadem* ſe dat; non petit ille *vadum*. *

* *Ter. Andr. Omnis res eſt jam in vado.*

50.
Regum Unctio.

Ungebat veterum ritus primordia Regum :
Unctio cùm fuerat, *functio* certa fuit.

51.
De Seplaſario.

Undique diverſas diſcurrit Agyrta per urbes,
Mendaci fallens garrulitate forum.
Utraque proprietas verè tibi convenit uni :
Prorſus es *erro* vagans : es quoque *gerro* loquax.

52.
Caſus.

Grammaticos numerat *ſenos* ex ordine *Caſus* :
Innumeros *Caſus* ſuſtinet omnis homo.

53.
Oratio.
O *Particula Exclamandi.*

O gerit incipiens; gerit O *Oratio* claudens:
Principio *exclames* & quoque fine precum.

54.
Aliud. O-*rati*-O.

O ſit principium precis : O ſit clauſula voti :
Ut fundas mediô ſic *rata* vota locô.

55.
De herba noxia, ex media Ponti Inſula huc allata, quæ Sumſitercnys *vocatur.*

Exterior ſpecies falſô abblanditur ocellis :
Quantivis pretii pluribus herba putor.
Si *teris*, & penitùs fibras introſpicis imas,
Sum cinis, haut caſſæ cortice digna nucis.

56.
Concilium & Synodus.

Nil prodeſt *Synodus, methodus* nî dirigat illam :
Concilium fruſtra eſt, ſit niſi *Conſilium*.

57.
Nocturna pax & bellum diurnum.

Dum cubat in *lecto*, tibi ridet amabilis uxor :
Alecto, à *lecto* cum redit, eſſe ſolet.

Paſtor

58.

Paſtor bonus.

Tondendo lanam, ſed non *tundendo* cruentas
Pelliculas debet demere paſtor ovi.

59.

In peregrinationis Oſorem.

Sextius è porta migrat, nec Balthica tranſit
Æquora; ſed portu ſubſtitit: inde redit.
Attamen enſatum peregrinus baltheus ornat:
Baltheus in *Balthes* portubus emtus erat.

60.

Philoſophorum & Militum Bella.

Philoſophus ſua bella gerit, miléſque cruentus:
Militis eſt telum *lingula*: * *lingua* ſophi.

* *Gladiolus oblongus in ſpeciem linguæ factus*, Gell. *l.* 10. *c.* 25.

61.

Quinque Prædicabilia.

Non *Genere* aut *Specie differt* vitioſus honeſto:
Eſt *Proprium* virtus: *accidit* illa bonis.

62.

Servus.

Non formicinô moveat ſe poplite ſervus;
Sit *ſervus* velox; ac quaſi *cervus* eat.

63.

Ira promovet opus.

Cuncta facis tardè peragenda negotia rerum:
Sic habet *I longum*, Marcule, *FIO* tibi.
Quando *R* accedit frendensque ardeſcis in ira,
Corripitur: fieri tum citò cuncta ſolent.

64.

De Podagricis.

Quem pedibus cruciat nodoſa podagra jacentem,
Agrippam poteris nonne vocare virum?
Agrippa dicitur ab ægris pedibus, Agell.. *l.* 16. *c.* 16.

65.

In Jeſaiam.

Meſſiam reliqui benè prædixere Prophetæ;
Jeſaias *Jeſum* clarius ecce notat.

* *Eſ. c.* 7. *v.* 14. & *cap.* 9. *v.* 6. & *alibi.*

66.

Panis & Caro.

Non perit ille fame nigrâ, cuî ſuppetit illud,
Quod *Piſtor* furnô, ruréque *Paſtor* habet.

67.

Præſidium Civitatis.

Oppida circumdent ſublimes undique muri:
Tollat & excelſum turris ad aſtra caput:
Sæpe tamen bello capitur: nam debita Cives
Munia nî præſtent; *mœnia* nulla tegunt.

68.

In albam Gretæ Stolam.

Cur te, *Greta*, ſalax niveô velamine veſtis?
Nè videare ſalax, Syrmata *creta** tegit.

* *Plaut. in Aulul* 4.9. *Veſtitu & cretâ occultant ſeſe & ſedent, quaſi eſſent frugi.*

69.

Ad amatorem prolixitatis.

Non mihi nunc animus *prolixis* ludere metris:
Quando *pro lixis* luſero, longa canam.

70.

Meditatè loquendum.

Mente priùs, fugiat quàm *mentô*, ſermo coquatur:
Lance prius, nè quem *lancinet* ille, proba.

71.

Epentheſis. Syncope.

Cynthia nupta viro lectô ſe veſpere condit:
Deliquium patitur Cynthia mane novo.
Sic quia nocturnis præceſſit *Epentheſis* umbris:
Syncopa ſubſequitur Sole nitente diu.

72.

In Poëtam indoctum.

Quando facis verſus, vocitas in carmina *Muſas*:
Quæſo voces *Mulas*: non tibi *Muſa* favet.

73.

Formica.

Fert micas formica graves *æſtatis* in *æſtu*:
Unde ſibi *famam* captat, agítque *famem*.

Cicada.

74.
Cicada.

Nulla *penum* parat; hinc ipſam *penuria* torquet:
Et quia nil *egit*, frigore triſtis *eget*.

75.
Magiſtratus ſunt Dii.

Præmia Diî tribuunt cupidis virtutis & æqui:
Attribuunt pœnas, qui malefacta patrant.
Dis ſimilis Conſul fuerit, cum ſtrenuus almæ
Virtutis *cultor*, criminis ultor erit.

76.
Helluo cibi, non libri.

Non tibi *Lucanus*, tibi ſed *lucanica* curæ eſt:
Sic *ſtudioſus* es; non *Studioſus* homo.

77.
Concionatoris Officium.

Ut tuus attentas ſermo demulceat aures,
Sit *methodus* membris, *exodus* apta, ſuis.

78.
Differentiæ Vocum.

Ellipſin * Rhetor notat: Ecthlipſinque † Poeta:
Aſtronomo *Eclipſis* o nigra notanda venit.

* *Elliſips (ab ἐλλείπω, deficio) eſt omiſſio vocis alicujus ad integram conſtructionem neceſſariæ: eſtque Figura Syntactica.*

† *Ecthlipſis (ab ἐκθλίβω, extero, elido) eſt eliſio literæ finalis* M *ante vocalem initialem dictionis ſequentis; eſtque Figura Proſodica.*

o *Eclipſis (ab ἐκλείπω, deficio) eſt defectus Solis aut Lunæ. Hæc tironibus ſerviant.*

79.
Lilium: Lolium.

Lilia lacte ſuo dicis depingere Niſam:
Lilia lacte genas, *Lilia* lacte manus.
Lilia te fallunt: *lolium* tua Niſa vocetur:
Nam *nigrans oculos cæcat amore tuos.* *

* *Lolio vitium illud ineſt, ut caliginem oculis inducat. Unde Ovid.* 1. *Faſtor. Et careant loliis, oculos vitiantibus, agri.*

80.

De craſſo quodam Buccone.

Artubus es truncus ; tumet os tibi ; talia nempe
Ora *moloſſus* habet, membra *Coloſſus* habet.

81.

Cogitata opere cognoſcuntur.

Noſcitur ex actu, quid mens conſideret intus :
Affectum effectus pandere rite poteſt.

82.

Lana ; Luna.

Ars *lanæ* variat ; *Lunæ* Natura colorem ;
Naturæ ac Artis luſus utrinque patet.

83.

Niſa Luna mutabilior.

Sæpe rogo Niſam, num tandem nubere vellet ?
Sed dubiis ludit me vafra Niſa modis.
Nunc ait, inde negat : negat, ac ait inde viciſſim :
Mutat Niſa φράσεις, ut vaga Luna φάσεις.

84.

Concordia.

Eſt equidem *carus*, qui naſcitur *Unio* conchâ :
Nata ſed eſt animis *Unio chara* magìs.

85.

Calepinus.

Ambroſius quantum *Calepinus* conferat, audi,
Eſt *Calepinus* opus mentibus *Ambroſium*.

86.

In Bibonem.

Ulmus amat vitem complexa : ſed amphora vitis
Si foret ; ulmi optes ilicò ſtare locô.

87.

Ebrietas.

Ebrius eſſe ſibi quidvis in corde videtur :
Vatis, pictoris, militis arma gerit.
Pangere ceu vates, ceu pictor *Pingere* novit :
Pungere, ceu miles, Bacchica turba ſolet.

Modus

88.

Modus legendi.

Nomina non methodum lectori; *Adverbia* monſtrant:
In Clariis *multum*, nè lege *Multa*, libris.
Hoc Plinii Præceptum eſt: Multum *legendum eſt, non* multa, *l.* 7. *ep.* 9.

89.

Mercatus.

Optas *Mercatum*, ut poſſis acquirere *merces*:
Optem *Mercatum*, quò poſſim acquirere *marcas.*

90.

Er gucket auß hohen Fenſtern.

Deſpicit è celſis quicunque penatibus urbem,
Deſpicit hic humiles fronte minace viros.

91.

Virgil. Eclog. 3.

Pollio amat noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam:
Pierides vitulam lectori paſcite veſtro.

Imitatio 1. *de Scyanthropo quodam.*

Cotta fugit teneram, quamvis ſit bellula, Nympham:
O Veneres *vetulam* moroſo jungite Cottæ.

Imitatio 2. *de Miſomuſo.*

Menno meam carpit, quoniam ſit ludicra, Muſam;
O Dryades ferulas oſori carpite noſtro.

Imit. 3. *de Euclione.*

Dives amat nitidam, quamvis ſit lubrica, Sortem.
O Superi rectam perverſis indite mentem.

92.

Maxilla & Mola.

Ut *Mola* comminuit ſaxi vertigine farra;
Sic *maxilla* cibos: ſunt *mola, mala*, pares.

93.

Aſtrologia.

Teſſera jacta manu quali cadat omine neſcis:
Ceu cadit *aſtragalus*: ſic facit *Aſtrologus.*

94.
Epheſ. 4. *v.* 5.
εἷς, μία, ἕν.

Eſt Deus *unus* & *una* fides; baptiſma ſit *Unum*:
Hunc colat; *hanc* teneat: *hoc* lavet omnis homo.

95.
In Fœneratorem.

Si quibus utendos tenues das Euclio nummos,
Hos pignus triplum depoſuiſſe jubes.
Sic ſecurus ago, dicis: poſt pignora vendis:
Cautio ſic non eſt: *captio* turpis erit.

96.
Ibyci grues.

Ibycus ut caſus pateat, vice fungitur olim
Judicis ala gruis: *Vindicis* ira Dei.

97.
Sannio & Mendax.

Scopticus ex *ſalſo* derivat pectore voces:
Ex *falſo* mendax pectore verba trahit.

98.
Genus: Species.

In *Specie* humana prodit de Virgine Chriſtus;
In *Genere* humano quò foret una Salus.

99.
Nervus Epigrammatis.

Indicat argutum carmen tibi clauſula: finis
Laude coronat *Opus*: laude coronat *Epos*.

100.
Ovidius de Arte Amandi.
In Avaros.

Aurea nunc verè ſunt ſecula: plurimus *aurô*
Venit honos: *aurô* conciliatur amor.

Imitationes.

1.
In Stolidos.

Plumbea nunc verè ſunt ſecula: plurima *plumbô*
Corda ſtupent: *plumbo* pectora prorſus hebent.

2.
In belli cupidos.

Ferrea nunc verè ſunt ſecula: plurima *ferrô*
Bella gerunt: *ferro* miles ubique fremit.

In

3.

In Immiſericordes.

Saxea nunc verè ſunt ſecula: plurima *ſaxo*
Corda rigent: *ſaxo* durior extat amor.

4.

In quartam Danielis Monarchiam.

Terrea nunc verè ſunt ſecula: plurima *terrâ*
Regna ſcatent: *terra* labiliora lutô.

5.

In ædificatores lignearum domuum.

Lignea nunc verè ſunt ſecula: plurima *ligno*
Tecta ſtruunt: *ligno* nunc habitare ſolent.

6.

In Iratos.

Ignea nunc verè ſunt ſecula: plurimus *ignes*
Spirat homo: *ignitas* ventilat ira faces.

7.

In perfidos.

Plumbea nunc verè ſunt ſêcla; ſimillima *plumis*
Verba volant; *plumis* eſt magè caſſa fides.

Friderici Hoffmanni Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

Centuria Quinta.

Nobilitate,

Doctrinâ & Virtute ornatiſſimis Viris-Juvenibus,

DN. GUILIELMO CLENCHE,

ET

DN. THOMÆ WHITE,

Fautoribus & Amicis ſuis multis nominibus ſuſpiciendis,

Hos ingenii Luſus

Dicat

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA QUINTA.

1.

Amicus falſus.

DUm licet evacuare cados, ſtat falſus amicus;
Siccatis fugiet mobilis ille cadis.
Si ſapis, haut foveas talem, qui fallit, amicum;
Sicut *hirudo* bibit; ſicut *hirundo* fugit.

2.

Seccum Canarium.

Vix melius vinum, quàm terra *Canaria* gignit,
In Bacchum verſo flumine *Cana* bibit.

3.

Inconſtantia muliebris.

Gellia cum *Gallis* variat; mutabile cultu
Gallia corpus habet; *Gellia* pectus habet.

4.

De Milone Crotoniata.

Fiſſile non poterat diducere *robore robur*;
Robore comprimitur *robur* inane manûs.

5.

Epiſtola Patris ad Filium Studioſum.

Fama refert Patri, peregrinâ Filius urbe
Quòd ſpretis *Marthæ* flagret amore libris.
Taliter hinc ſcribit Nato Pater; optime Fili,
Quid tibi cum *Marthâ*? *Charta* ſit apta tibi.

6.

Aculeus Epigrammatis.

Scorpius eſt falſi quadrans Epigrammatis icon;
Scorpius è *cauda*; *fine* Epigramma ferit.

7.

Cornix & Merterix.

Cor ſignô differt *ſcorti* & *cornicis* in uno:
Eſt hujus *Cor nix:* *cor nex* eſt illius atrox.

8.

Harmonia & Concordia.

Muſica concentu; ſimili fit pectore fœdus:
Corda pari ſenſu conſona: *chorda* ſonô.

9.

Sylvia Salviam refert.

Sit tua *Maja roſæ* ſimilis, quam purpura pingit,
Et veſtras æquet, *lilia* blanda, nives.
Si non noſtra *roſas* & *lilia* candida jactat
Sylvia; ſit cordis *Salvia* tuta mei.

10.

Nota boni Panis & Caſei.

Caſeus & *Panis* diverſâ ſorte probantur:
Caſſus is eſt *oculis:* * *hic oculatus* † erit.

* *Repete vulgatum: Non Argus, largus &c.*
† *Vid. Schol. Salern. cap.* 24.

11.

De Pontio Pilato.

Ecquid aquam poſcis, quâ dextra cruenta lavetur?
Te, *Ponti*, *Ponti* non ſatis unda lavet.

12.

Timor in dicendo.

Ipſe tremens adiit facunda theatra *Pericles*,
Non igitur fruſtrà Tiro *perîcla* timet.

13.

De intempeſtiva Irenophilia:
Ad Mummium.

Diſſimiles ſenſus compingere tendis in unum:
Diverſumque pari jungere dogma jugô.
Non ego condemno *ſectam*, quæ diſcrepat, inquis:
Nititur & fulcris devia *ſecta* ſuis.
Sed tibi tu ſapias: pugnantes improbo *ſectas:*
Nam mihi *ſecta* minùs, quàm levis *hecta*, placet.

Regnum

14.

Regum & Philoſophorum pugna.

Dictis Philoſophos; *Ditio* ciet inclyta Reges:
Pugnat pro *fucis* ille; ſed iſte *focis*.

15.

In Laur. Vallam. de Eleg. Lat. Serm.

Barbaries *vallum* Linguæ Latialis honori
Oppoſuit; terſus *Valla* removit idem.

16.

Ad Verſificatorem.

Sit *correpta* quidem, ſed non *corrupta* ſit unquam
Syllaba: *labatur* ſed ſine *labe* melos.

17.

In Mammotreptum.

Non peregrinandi te nobilis arripit ardor;
Sed quaſi crate domi ſeptus inerſque ſedes.
Surge piger, patulique migra per climata mundi;
Non eſt hoc mundi *Corbis*, at *Orbis*, opus.

18.

Cauſæ bellorum.

Bella Deus probat? aſt homines malè bella miniſtrant:
Aſtra regunt homines; ſed magè *caſtra* regunt.

19.

De Coquo Phrygis.

Juris Conſultos voco, qui ſunt lege periti:
Juris-*conſultum* Phryx ait eſſe coquum.

20.

Homo beſtiis melior & pejor.

Ingeniô præſtant homines, animiſque ſuperbis;
Hinc *aſtu* & *faſtu* condita vincit homo.

21.

Serpens.

Multa necat ſerpens, ſerpente ciconia vivit;
Res eadem *vires*, & quoque *virus* alit,

22.

Caſus forenſes.

Accuſativus bonus eſt & fertilis *Actor*;
Huîc *Procurator* quando *Dativus* adeſt.

Accu-

Accuſativus miſer eſt & debilis *Actor* ;
Huîc *Procurator* quando *Dativus* abeſt.

23.
Pietas.

Corpore verſaris terrâ, ſed pectore cœlô ;
Pes imitatur *ovem* ; mens imitatur *avem*.

24.
Pulcritudo.

Gratia, forma, decus caſtis in mentibus inſunt ;
Inſunt laſcivis gratia, forma, decus.

25.
Labor amarus fructus dulces profert.

Nè te pœniteat ſtudii laſſique laboris.
Huic, qui *fractus* erit, *fructus* amœnus erit.

26.
Cibus pauperum æque, ut divitum, ſapidus.

Divitis haut tantùm jucunda *ferina* palato ;
Quam paupertati piſta *farina* ſapit.

27.
Quæ muniuntur, etiam minuuntur.

Autumat inſipiens tutum ſe turribus altis ?
Et timet aëriâ nulla perîcla domô ?
Hoſtis & ignis atrox turritas deſtruit arces ;
Turris ubi nituit ; mox ibi *torris* erit.

28.
Dona promovent ad honores.

Nemo, licet dignus, gratìs mactatur honore ;
Si cupis officium, *munere munus* emas.

29.
Barbara Iracunda.

Barbara ducta tibi ? jam nè *Rhabarbara* poſcas ;
Purgabit choleram nam ſatis illa tuam.

30.
An Fur ſuſpendendus?

Quæ pœnæ ſpecies furi ſit debita, quæris ?
Si *pendet*, pœnam *pendit* is ipſe parem.

31.
Luxus Veſtium.

Niteris eximiô circumdare corpus amictu :
Et formam quovis fingere menſe novam.

Hinc

Hinc malè dilapidas partos, bona patria, nummos;
Eſt *veſtis* loculi *peſtis* acerba tui.

32.
De Famelico.

Dente cares nullô; deſunt tamen ore *molares*;
Cur? quia nil ſupereſt, quod tibi dente molas.

33.
Gigantes.

Qui ſunt conati imponere Pelio *Oſſam*, *
His robuſta viris *Oſſa* fuiſſe puto.

* *Virg.* 1. *Georg. v.* 281.

34.
Mors.

Quiſque gerit mortem gremio, dum deſerat ævum;
Affinis vitæ, *finis* & illa tuæ.

35.
In quendam Aquam vitæ deſtillatam mane bibentem.

Poſcitur ante diem *ſtulto* cum *flumine Liber*:
Poſcatur *multo lumine*, quæſo, *liber*. *

* *Horat. lib.* 1. *ep.* 2.

36.
Poëta eſt Eques.

Solus *Ariſtoteles* vulgò pedes ire jubetur:
Virgilium peditem vadere nemo jubet.
Cur non *Philoſophis* eadem, quæ gloria Vati
Competit? Hic equitat Bellerophontis equô.

37.
Chriſtus Mundi Creator & Redemtor.

Humano generi miſit *Pater* æthere *Natum*:
Et per quem * *fecit*, deinde *refecit* opus.

* *Joh.* 1. *v.* 3.

38.
Cum Deo cœpta ſuccedunt.

Omnibus in rebus divinum *reſpice* Numen:
Sin minùs, hærebit *res pice* cœpta tibi.

39.
Vultus animi proditor.

Quod tua mens *fingit*, *pingit* variatio vultus;
Ipſa *aciem facies* mentis aperta docet.

Mu-

40.
Mutua Officia.

Apta *lavare* manum manus eſt: eſt apta *levare*:
Hæc *levat* hanc; iſtam ſic *lavat* illa manus.

41.
Ad Oratorem jactabundum.

Garrula quid jactas nugacis flumina linguæ?
Siccantur fontes; deficit unda vadum.
Talia de magno credas Demoſthene? quondam
Deſertus * verbis, ante *diſertus*, erat.

* *Demoſthenes aliquando apud Macedones legatione fungens, cùm cauſam dicere inſtituiſſet, verba eum & ingenium defecerunt.* Ælian.

42.
O - rati - O Nautica.

O - ſit prora - *rati* - puppis ratis inſimul - O ſit:
Sic te fauſta *ratis* medio vehet aura ſedentem.

43.
Qui neſcit orare, intret mare.

O clamat, quicunque *rati* ſe credit, & *Orat*;
Inque *freto* diſcit ſpe niti, Numine *fretâ*.

44.
Studioſus bibax.

Te decet ingeniô chartas verſare librorum;
Sed, *folia* oblitus, *dolia* fauce teris.

45.
Ad Adulatorem.

Candidus haut noſtris quicquam *des auribus* opto:
Des aliquid *manibus*, ſi dare dona velis.

46.
De quodam anum divitem ducente.

Obſita fertilibus tibi ducitur *Urſula* rugis;
Sed cujus prægnans ære crumena tumet.
Vis verum dicam? tibi diſplicet *Urſula* credo:
Sola tibi nummis *burſula* plena placet.

47.
Ad Penelopen, telâ textâ & retextâ procos fallentem.

Haut tibi teligeri nocuére Cupidinis arma:
Tela nihil penetrant, dum tibi *tela* manet.

An

48.

An pluribus ſimul ſervire poſſimus.

Nullus homo ſervire *Deo, Plutóque* valebit:
Plutoni & *Pluto* ſerviet ipſe ſimul.

49.

Muſa friget.

Frigida, miràris, quod nunc Epigrammata condam?
Deſtituor *lignis*: hinc nihil *lignis* ineſt.

50.

Anagr. Bruma; Umbra:

Si *brumam* vertas, noctefcens gignitur *Umbra*:
Nam *brumæ* noctes longior *Umbra* nigrat.

51.

Hîc Irus; alibi Crœſus.

Magnificas ſupereſſe domos tibi, Marcule, dicis;
Atque peregrinô condita tecta ſolô.
Sed te qui nôrunt, rident: quia fortè nec unus,
Paſſer ubi nidum conſtruat, *aſſer* adeſt.

52.

Circumſtantiæ rem variant.

* Nil vetat, interdum *ridentem* dicere verum: *
Rodentem verum dicere, multa vetant.
* *Horat. lib.* 1. *Serm. Sat.* 1.

53.

In dentatam Uxorem.

Greta tibi conjux eſt ducta, ſed improba Circe:
Non *Geta* ſic atrox, ut tua *Greta* fremit.

54.

Icarus.

I-carus Superis, mediúmque tuere libenter:
Icarus è medio devius amne perit.

55.

Reconciliatio.

Dona Diis offers? placet tibi gratia fratrem:
Non ſimul *ira* hominum ſtabit, & *ara* Dei.

56.

Elenchus Virilis & Muliebris.

Extat Ariſtotèlis Logicâ pretioſus *Elenchus*;
Extat & in concha: diſpar uterque ſatis.

Con-

Convenit ille viris; hôc fœmina pulcra ſuperbit:
Pendet ab *aure* * ſequens: pendet ab *ore* prior:
* *Elenchus eſt unio faſtigata longitudine, ovali figura, de quo Juven. Sat.* 6. Auribus *extenſos magnos commiſit* Elenchos.

57.
Diæta.

Si tibi ſana fuit ſervata *diæta dietim*:
Tunc te *dia ætas* viderit eſſe ſenem.

58.
Amicum res adverſæ probant.

Cos polit arma; premens fortuna explorat amicos:
Hâc ſi *cote* probas, in *cute* nôſſe potes.

59.
In Guloſum.

Tu ſervis ventri, tibi quem ſervire decebat:
Sic *ſervo* verſô munere ſervit *herus*.

60.
Injuſtus.

Poſcit iniquus ovem lanæ cum vellere totam:
Et cum *marca* datur, detur ut *arca* jubet.

61.
De magno ac magniloquo Potatore.

Si toties Autor lectus tibi *Curtius* eſſet,
Pampineus quoties *Urceus* hauſtus erat:
Promptus *Alexandrum Magnum* deſcribere poſſes:
Qui modò de *Magno* verba Bibone facis.

62.
Damon: Dæmon.

Fidus amicitiam colit uſque ad funera *Damon*: *
Sed ſolvit *Dæmon fœdus* amicitiam.
* *Cic.* 1. *Offic.*

63.
Domus privatæ adminiſtratio eſt imago adminiſtrationis publicæ, 1. *Tim.* 3. *v.* 5.

Regnorum faſces thalami moderamen adumbrat:
Nî regis arte torum; non regis arte thronum.

Ebrie-

64.

Ebrietas.

Supprimit ebrietas *artes*; depaſcitur *artus:*
Inde rubet *mentum: mentis* imago nigrat.

65.

Properè & Proſperè.

Num tibi tarda, velut Fabio, cunctatio proſit?
Is ſua, qui *properat, proſperat* acta manus.

66.

Virtus Formæ præferenda.

Virgineô variæ conduntur corpore dotes,
Maſcula quæ rapidô corda decore trahunt.
Quid notet uxorem ducens? ſit candida cauto
Virtus *norma* magis, quàm mera *forma*, viro.

67.

Vetula.

Nil vetulâ toto vivit nugacius orbe:
Sunt *rugæ* & *nugæ* propria ſemper anûs.

68.

Kurtze Predigten und lange Bratwürſte.

Impia turba Deos ſpernit: pleriſque probantur
Prælongi *miſſus*; ſed ſacra *miſſa* brevis.

69.

Licentia.

Quiſquis ſollicitè, liceant ſibi ut omnia, quærit:
Quærit id, ut liceat non ſatis eſſe probum.

70.

Diſcrimen Orthodoxorum & Cacodoxorum.

Diſſidet hæreticus; vincit concordia Sanctos:
Schiſma malis proprium: nobile *Chriſma** bonis.
* *i. e. Spiritus ſanctus, qui unctio vocatur,* 1.*Joh.*2.*v.*20.

71.

Æqualitas eſt vinculum Amicitiæ.

Non bene cum domino ſervus jungentur [illegible]ente:
Diſpare quòd comedent fercla parata modô.
Nam *nervô* dominus, famulus ſatiabitur *ervô:*
Aſſa rapit dominus: ſervulus *oſſa* capit.

Virtus

72.

Virtus Epigrammatis.

Laudatur turris, quando nitet ære *cacumen*:
Laudetur carmen, ſi quod *acumen* habet.

73.

Lydia ſollicitudo.

Lydia quando fidem, moreſque explorat amantis,
Lydia conſuevit *Lydius* eſſe lapis.

74.

Fides, is; Fides, ei.

Sit quamvis extenta *fides*, tamen ipſa remittit:
Fit, quamvis conſtans, lubrica ſæpe *fides*.

75.

Falſus Dei timor & amor.

Non timet ille *Deum*, quiſquis δέον exuit omnem;
Qui tollit *criſtam*; non bene χριστὸν amat.

76.

Profeſſor Ethicæ ἄπρακτος.

De Virtute ſoles mellitas promere voces:
Attica Nectareis fundere verba ſonis.
Sed tua comparibus privantur dogmata factis:
Atticus eſſe ſtudes: *Ethicus* eſſe negas.

77.

Opiniones de virtute variant.

In *medio* virtus conſiſtit, ut Ethicus inquit:
In *modio* virtus eſt ſita, dives ait.

78.

In vitioſum Scriptorem.

Non *obolô* codex, *obelo* jugulatus, ematur:
Nec *vicia*, *vitio* ſi ſcatet ille, pares.

79.

Arma cautè tractanda.

Spicula lapſa manu quô lædant vulnere neſcis:
Exitus *acta* probat; Exitus *icta* probat.

80.

Magnatum preces imperia.

Ex *Evangelio* pauper, quod diſcupit, orat:
Cum *tabulis Moſis* ſed petit ipſe potens.

In-

81.

Inquiſitio Connubialis.

Cùm propôſta theſis Logicorum expenditur arte,
Quærere, *Quæ*, *Qualis*, *Quanta* ſit illa, ſolent.
Hæc hodie ſervit nupturæ quæſtiô Niſæ:
Quis? qualis? quantus? ſit procus, uſque rogat.

82.

Pulcritudo & Caſtitas.

Magna pudicitiæ cum forma divite *vis* eſt:
*Lis** eſt cum forma magna pudicitiæ.

* *Ovid. Epiſt.* 15.

83.

Ebrius.

Ebrius infandas *cædes, ſtupra, furta* fatetur:
Sed negat unum audax *Ebrietatis* opus.

84.

Tyrannus.

Vexat atrox alios, ſibimet timet ipſe Tyrannus:
Sic *lupus* eſt aliis; eſt *lepus* ipſe ſibi.

85.

Superbia vitioſi animi index.

Ut *faſti* ventos ſignant & nubila cœli:
Sic *faſtus* tumidi pectoris ima notat.

86.

Quæſtionis & Reſponſionis Congruentia.

Quæſtio quô facta eſt, fiat Reſponſio Caſu;
Alter & alterius ſpectet amétque ſitum.
Hinc rarò nobis *reſpondet* Jova *Dativo*:
Dona quòd haut precibus *quærimus* ulla *datis*.

87.

Honos eſt Onus.

Gloria celſa juvat; ſed nos ceu ſcrupulus urget:
Gloria nos, ſicut *glarea* dura, premit.

88.

Occaſio facit furem.

Res niſi cuſtodis; *fur, mus* prædabitur illas:
Fures & *mures* cauſa locuſque facit.

89.

Suum cuique pulcrum.

Aſtra Matheſis amat: Marti fera *caſtra* probantur;
Roſtra placent nautæ: *raſtra* colonus habet.

90.

Nihil tam difficile, quin quærendo inveſtigari poſſit. Ter. Heaut.

Tam nihil *occultum* tegitur caligine denſâ;
Quin fieri *excultum* ſedulitate queat.

91.

Nominum ſimilitudo nihil facit ad morum ſimilitudinem.

Non, qui conveniunt in nomine, protinus actis
Conveniunt: tales inclyta Roma tulit.
Unus erat, patriæ qui profuit; obfuit alter:
Claudius * unus erat: *Clodius* alter erat.

* *Claudius Romanorum Imperator Britanniam Inſulam in deditionem accepit, & Orcadas Romano imperio adjecit. Alius ejuſdem nominis Imp. Rom. Gothos Illyricum vaſtantes bello adortus incredibili clade ſuperavit.* De *Clodio verò res nota eſt.*

92.

Colica Paſſio.

Græcia ſic Trojam non torſit, ut *ilia* morbus:
Ilia ſunt nobis *Ilion* acre mali.

93.

Veſtis ſtultitiæ index.

E *varia* volucrem poteris cognoſcere *penna:*
E *panno* ſtolidum *verſicolore* virum.

94.

Tyrannus ſpinæ ſimilis, Mich. 7. v. 4.

Sauciat innocuum nocuus, ceu ſpina, Tyrannus:
Arduus inſonti *Carduus* eſſe ſolet.

95.

Promiſſa fallunt.

Nunquam *promiſſo* dicam pro munere grates;
Sed bene *pro miſſo* munere gratus ero.

Machia-

96.
Machiavellus.

Cuî *Machiavellus* mera fingere mella videtur:
Huîc *Machiavellus machina fellis* erit.

97.
Ad incitas redactus.

Te maleſuada fames, & ſordida vexat egeſtas:
Non, *ut edas, bolus* eſt: non, ut emas, *Obolus.*

98.
Altera manu oſtendit panem; alterâ fert lapidem.

Gift fert læva nocens; melius *Gift* dextera monſtrat:
Hæc dat Gift *Britonis: Teutonis* illa tenet.
Gift Anglis ſignificat *donum*; Germanis *venenum.*

99.
Oratio Rhetoris & militis.

Verba *facit* Rhetor, miles *jacit*: ille loquelæ
Manantis; linguæ hic verba *minantis* habet.

100.
Ovid. Epiſt. 16. Heroid.
An neſcis, longas Regibus eſſe manus?
Specimen Variationis.

1. An neſcis, molles matribus eſſe manus?
2. An neſcis, piceas furibus eſſe manus?
3. An neſcis, feſſos curſibus eſſe pedes?
4. An neſcis, lentos Numinis eſſe pedes?
5. An neſcis, criſpum crinibus eſſe caput?
6. An neſcis, vafrum fraudibus eſſe caput?
7. An neſcis, ficto s gentibus eſſe Deos?
8. An neſcis, ter tres Vatibus eſſe Deas?
9. An neſcis, celſis arcibus eſſe duces?
10. An neſcis, nitidas ditibus eſſe domos?
11. An neſcis, claros ſolibus eſſe dies?
12. An neſcis, nigros nubibus eſſe dies?
13. An neſcis, riguos imbribus eſſe dies?
14. An neſcis, præſtans artibus eſſe decus?
15. An neſcis, pinguem carnibus eſſe bovem?
16. An neſcis, udum fecibus eſſe cadum?
17. An neſcis, fœdam ſordibus eſſe caſam?
18. An neſcis, nocuum cornibus eſſe caprum?
19. An neſcis, viridem frondibus eſſe citrum?

20. An neſcis, reſonum vocibus eſſe chorum ?
21. An neſcis, fartum mercibus eſſe forum ?
22. An neſcis, ſtreperum litibus eſſe forum ?
23. An neſcis, dandam teſtibus eſſe fidem ?
24. An neſcis, ſtructas lactibus eſſe fides ?
25. An neſcis, clauſas noctibus eſſe fores ?
26. An neſcis, validas ſenſibus eſſe feras ?
27. An neſcis, plenum navibus eſſe fretum ?
28. An neſcis, aptum piſcibus eſſe lacum ?
29. An neſcis, rarum moribus eſſe locum ?
30. An neſcis, captum retibus eſſe lupum ?
31. An neſcis, proprios civibus eſſe Lares ?
32. An neſcis, ſapidum vitibus eſſe merum ?
33. An neſcis, nullum fortibus eſſe metum ?
34. An neſcis, tumidum fluctibus eſſe mare ?
35. An neſcis, lymphas fontibus eſſe meras ?
36. An neſcis, varios veſtibus eſſe modos ?
37. An neſcis, nullum ſumptibus eſſe modum ?
38. An neſcis, denſum quercubus eſſe nemus ?
39. An neſcis, annos menſibus eſſe pares ;
40. An neſcis, caudas vulpibus eſſe rubras ?
41. An neſcis, gratas naribus eſſe roſas ?
42. An neſcis, tutas portubus eſſe rates ?
43. An neſcis, junctas curribus eſſe rotas ?
44. An neſcis, vernans floribus eſſe ſolum ?
45. An neſcis, viduum dentibus eſſe ſenem ?
46. An neſcis, tetrum vermibus eſſe ſpecu ?
48. An neſcis, dios mentibus eſſe ſatus ?
49. An neſcis, duplices muribus eſſe vias ?
50. An neſcis, lætum laudibus eſſe virum ?
51. An neſcis, facilem callibus eſſe viam ?
52. An neſcis, finem verſibus eſſe meis ?

FRI-

FRIDERICI HOFFMANNI Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA SEXTA.

Præſtantiſſimis,

Et Genere atque Virtute florentiſſimis Viris-Juvenibus

DN. JOHANNI MAT-
THEW,

ET

DN. JOHANNI PAR-
GITER,

Amicis ſuis perquam dilectis
& multùm colendis

Hanc Epigrammatum Centuriam

Inſcribit

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

Centuria Sexta.

1.

Conjugium Syntaxi ſimile.

P*Er ſe ſtare* viri poſſunt; his *adjacet* uxor:
Ad *genus* & *caſum* ſe gerit illa viri.
Vir *Subſtantivum eſt*; *Adjectivúmque* fit uxor:
Aptaque *Syntaxis* fit ſociale jugum.

2.

Oleum Anglicanum.

Dulce cibis *oleum*, quod ab arbore ſtillat, *edendis*:
Sed Britones *oleum*, quod *bibis* ore, coquunt.

3.

In ineptum titulorum affectatorem.

Res eſt mira nimìs: cùm ſis rudis atque *pithecus*,
Cur *titulis* fieri *cercopithecus* aves?
Pithecus *eſt ſimia, ab inſula Pithecuſa ſic dicta:* Cercopithecus *ſimia caudata.*

4.

Capilli inuncto pulvere conſperſi.

Vos, queîs Caſtoreâ ſimilagine ſynciput albet,
Dicitis haut ficte: *pulvis* & *Ambra ſumus.*

5.

Nihil inexpugnabile.

Falluntur, vaſtis ſi fidunt mœnibus urbes,
Et jactant tuto condita valla ſitu.
Stabat ubi *moles*; ibi carpit pabula *mulus*:
Agger ubi ſteterat, ſæpe vireſcit *ager*.

6.

Ignavus: Iracundus.

Otia ſegnis amat: ſtimulat gravis ira tyrannos:
Eſt *furia* immiti; *feria* grata pigro.

7.

Lingua lubricitas.

In morem *anguillæ* cur lingua volubilis errat?
*Anguilla** in *lingua* lubrica penè jacet.

* *priores ſex literæ vocis* anguilla *latent in voce linguæ.*

8.

Jus eſt in armis.

Regibus atque coquis poſitum jus ſemper in *armis:*
Armus jura coqui dirigit: *arma* ducis.

9.

Declinatio.

Commoda quæ præſtet mihi Declinatio, dicam:
Obtineo *menſam*; quæ dape pauper eget.
Poſſideo *librum*; libram non comparat æris:
Eſt *pater*; at dudum fata tulére Virum.
Sic igitur *fructu* mea poſt conamina fraudor:
Omnia ſunt *ſpecies:* omnia vana, nihil.

10.

Poſt gaudia luctus.

Lætitiæ mœror comes eſt: nam nubilus aër
Inſequitur *Soles:* mœſta querela *Sales.*

11.

Hector Spurius.

Hectora te fortem palponis lingua ſalutat:
Hectoris haut tantum, quàm tenet *hecta*, geris.

12.

In teneris conſueſcere, multum eſt.

Dum tener eſt, ſeſe curvantem dirige truncum:
Si regitur; *truncus* poſt minùs *uncus* erit.

13.

Peregrinatio Gallica.

E Gallo * lympham quicunque bibere, furebant:
Non minus inſanos *Gallia* Franca facit.
Plurimus ad *Gallos* ſano cum pectore tranſit:
A Gallis ſtolidum *cor, habitumque* refert.

* *Gallus Phrygiæ fluvius, cujus aquam qui guſtâſſent, reddebantur inſani.*

Bibo-

14.
Bibones.
More Palatinô bibimus, nè gutta ſuperſit:
Unde ſuam poſſit muſca levare ſitim.
Parodia Epulonis.
More Catillonum comedo nè mica ſuperſit:
Unde ſuam relevet muſculus ipſe famem.

15.
In Med. Doctorandum.
Nec ſatìs *Æſopum* triviſti, Marcule, totum:
Nec ſatìs *Hyſſopum*: ſiccine Doctor eris?

16.
CORNUA.
De te quid ſtatuam? monſtrum es mirabile: CORNix
Dat caput, & caudam noctUA dira tibi.

17.
Poëtæ plerique coti ſimiles.
Aonii gaudent Lenæô nectare Vates:
Hinc ipſos ſimiles cotibus eſſe puto.
Cos nihil inſervit, lymphæ niſi rore madeſcat:
Nî Vatem irroret Bacchus, ineptus erit.

18.
Virtus in medio inter duo Extrema.
Extremum fugias: mediô tutiſſimus ibis:
Stat mediô *virtus*: ultima *virus* habent.

19.
Ut flerent, oculos erudiere ſuos.
Solvitur in lacrymas mulier: nec ventus & aura
Tam citò *flare*, velut fœmina *flere*, poteſt.

20.
Conviva Aulicus.
Aulicus approperet velox ad fercula menſæ:
Nam ſedet ut *bardus*; ſi malè *tardus* adeſt.

21.
Pauperum Sepultura.
Pauperibus nemo præfert funale ſepultis:
Sic igitur nullum *funus* egenus habet.
Pauperis elatum *ſequitur* quoque nemo cadaver:
Ergò nec *exſequias* ullus egenus habet.

22.

Barba hirſuta & intonſa.

Semper es intonſus, ſic ut videaris *Apollo*:
Sed patet in vultu verus *Apella* tuo.

23.

In der Welt hat der Arme den Beutel/ der Reiche das Geld.

Pauper in hoc mundo differt à divite: *ſaccum*
Dives habet: *ſaccum* poſſidet æris inops.

24.

In Oſorem Aquæ Vitæ.

Vulgus *aquam vitæ* tritò quoe nomine dicit:
Oſor *aquam phyte* nominitare ſolet.

25.

Fœmina Germanica & Anglicana.

A *læva* Germana viris ſe fœmina jungit:
Læva docet, quòd ſit fœmina ſæpe *levis*.
Angla ſed incedit *dextræ* ſociata mariti:
Dextra, quòd ipſa viris imperet Angla, monet.
Lege Juſt. Lipſii Elector. l. 2. *c.* 2.

26.

Orator mortalis.

Rhetora non ſolvit ſolers facundia lethô:
Ah tropus haut prodeſt: *Atropos* omne necat.

27.

De cujuſdam fœminæ ſuperbia & garrulitate.

Te volucrum melius, quam picæ, comparo nulli:
Tota es *verſicolor* veſtibus; ore *loquax*.

28.

Avarus.

Accipiendo rapit; dandô tremit omnis avarus:
Sic *avidus* nimis eſt: ſic *pavidúſque* nimis.

29.

Una hirundo non facit ver.

Concidat ut quercus, crebrò eſt ferienda ſecuri:
Ut capias habitus, actio crebra facit.
Multus utrinque labor ſucceſſu gaudet: at unus
Nil valet hic *actus*; nil valet *ictus* ibi.

Pul-

30.
Pulchritudo.

Quid *flos* eſt formæ, niſi *ros*, qui ſole liqueſcit?
Bella quid eſt ſpecies? nil niſi *bulla* fugax.

31.
Promiſſis dives, ſed fallax.

Non dat *chara* mihi, qui dat promiſſa * *Charetis*;
Nam promittentis lingua, *caretis*, ait.

* *Chares fuit Dux Athenienſium, qui quidvis cuivis pollicitus eſt; ſed nihil præſtitit eorum, quæ receperat, Eraſm. Chil.* 2. *cent.* 6. *adag.* 83.

32.
Timor; *Tumor.*

Proſpera ſors effert: ſors deprimit *aſpera* mentes;
Eſt *timor hinc* ſocius; ſed *tumor* inde comes.

33.
Seditio Dathanis & Abirami.

Dathan & Abiram furiis diſcordibus acti
In Moſen motâ ſeditione fremunt.
Unde rogas orti fuerint? de gente tribúque
Non *Sebulonis* * erant, ſed *Nebulonis* erant.

* *Dathan & Abiram fuerunt filii Eliab, Num.* 16. *v.* 1. & 12. *Deut.* 11. *v.* 6.
Eliab fuit filius Helonis, Num. c. 1. *v.* 9. & *c.* 7. *v.* 29. *Helon fuit filius Sebulonis, Gen.* 46. *v.* 14.

34.
Bellorum diſcrimen.

Bella *mari terrâque* modo non compare conſtant:
Iſta geruntur *equis*: illa geruntur *aquis*.

35.
Oratio.

O, ratio * noſtri voces niſi dirigat oris;
Nequicquam Superis *Oratio* fuſa placebit.

* *Matth.* 20. *v.* 22.

36.
In Sacerdotem luxurioſum.

Cum ventri vivas, falſò vocitare *Sacerdos*:
Verùm jure *ſacer bós* vocitandus eris.

37.

De Corydone balbo,

Teſtamenti evictionem ridiculè flagitante.

In Teſtamento Corydoni *caverat* Otto,
Ut partem huic hæres poſt ſua fata daret.
Hic legata petens; quæcunque ait, Otto *ca-cavit*;
Et *de-dre-crevit*, tu mihi cuncta dato.
Subridens hæres, inquit: quod poſcis habeto:
Tollito legatum, cuncta petita, tuum.

38.

Divitiæ.

Prædia, cenſus, opes, curis præcordia ſolvunt:
Impediunt curis prædia, cenſus, opes.

39.

Veſtium ſplendor.

Cur *oſtro* tingis veſtes? es percitus œſtro?
Non *aſtro* quenquam purpura rubra locat.

40.

Paupertas docuit philoſophari.

Conveniunt rarò ſapiens & copia rerum:
Cenſus ubi fuerit; vix ibi *ſenſus* erit.

41.

Ovis.

Vix animans ovibus vivit præſtantius ullum;
Commendat placidas *eſus* & *uſus* oves.

42.

De Phariſæo & Publicano, Luc. 18.

Vota refert longò Phariſæi murmure faſtus;
Peccator ſtrictô verba tenore facit.
Hunc Deus orantem, non illum exaudiit; Illi
Nam *color* exter erat; huic *calor* intus erat.

43.

Horat. l. 3. *Od.* 3. *Juſtus.*

Nil unquam quatiet juſtum, rectíque tenacem;
Ut fiat *motus*; non *metus* urget eum.

44.

Caſtitas.

Quære pudicitiam primùm; poſt inſpice dotem;
Fruſtrà *Ciſta* venit, nì tibi *Caſta* venit.

Aſtro-

45.

Aſtronomus.

Stant tellure pedes; animus ſuper aſtra vagatur:
Quò pes *ire* nequit; mens ea *ſcire* poteſt.

46.

Graculus Poëta ſimilis Gallo in ſterquilinio.

Argutum *Graculo* carmen ſemel excidit ore;
Quod gallus fimô, ſe reperiſſe putat.

47.

Potator Thraſonicus.

Scripſit *Alexandrum* limatô codice *Magnum*
Curtius, & retulit bellica geſta viri.
Dicere de *magnis*, ſed non ut *Curtius*, audes;
Dicere de *magnis urceus* ora facit.

48.

Amicitiæ Origo & Examen.

Conciliat virtus; ærumna explorat amicum;
Naſcitur ergò bonis; *noſcitur* inde malis.

49.

Nè pennas nidô majores extende

Suſcipe rem nullam, fueris ſi viribus impar;
Nam citò *captus* erit, qui minùs *aptus* erit.

50.

Myſteria mirare, nè rimare.

Abdita vir ſcrutans *venaticus* eſſe putatur;
Sed mihi vir talis *fanaticus* eſſe videtur.

51.

Menſa.

Arte laboratas poſcis de marmore menſas;
Lignea *menſa* placet, ſi modo *manſa* placent:

52.

In Muſéum non calefactum.

Juniperus, *Laurúſque* virens, *Oleaſter* & unà
Cornus, Apollineo ſacra fuére Patri.
Perdidit hæc hodie veteris ſacraria ſecli;
Haut frons eſt miſero ſacra vel una Patri.

53.

Ovium & Serpentum Imitatio.

Mores *agninos*, ſimul *anguinoſque* ſequamur;
Nam ſimplex *agnô* noſcitur, *angue* catus.

54.

Ad immoratum.

Impiger addiſcas *morum de laude* * Catonem:
Cùmque ſuâ valeat *ruſticitate* † Cato.

* *M. Cato de Re Ruſtica ſcripſit.*

† *Dionyſius Cato Diſticha moralia ſcripſiſſe creditur.*

55.

Contemtus pauperum Amicorum.

Exulat omnis egens; venit ad convivia dives:
Quiſquis *amictus* erit; gratus *amicus* erit.

56.

Abſcondita Doctrina.

Quid juvat è *libris* didiciſſe fideliter artes?
Si non è *labris* cuncta referre queas?

57.

Fama.

Nobilibus Famam ſtudeas extendere factis;
Si te quærendi nominis ardor habet.
Non aliò famam captabis tramite: Fama
Nobilitate viget: *mobilitate* viget.

58.

Regula Oeconomica.

Caſeus & *panis* ſumantur pollice duplô:
Prodiga det panem; caſeum *avara* manus.

59.

Pœnitentia.

Te niſi pœniteat ſceleris, non crimina tolles:
Is crimen *delet*, qui malefacta *dolet*.

60.

Voluptarius.

Aut edis, aut dormis: hæc ſola negotia curas:
Sic *ſapor* alternant, & *ſopor* uſque vices.

61.

Avaritia.

Semper egent; auro nunquam ſatiantur avari:
Hoc magè ſunt *inopes*, quò magè dantur *opes*.

Unio.

62.

Unio.

En *Maſculinum* eſt *Unio*;
Sed *fœmina* hunc amplectitur,
Collóque perpetim gerit.
Et *Fœmininum* eſt *Unio*;
Sed non *vir* hanc amplectitur;
Qui bella perpetim gerit.

63.

Abſolon.

Virgo capillari * Veſtalis ab arbore crines
Suſpendit: crines Abſolon atque caput.

* *Capillaris arbor erat apud Romanos, ad quam Virgines Veſtales capillum tonſum, Deo conſecratum, ſuſpendebant.*

64.

Viel Freyer: wenig Nehmer.

Phyllida multus amat, minitans connubia *Sponſus*;
Sed rarus miſeram Phyllida *Sponſor* amat.

65.

Laborans manducat.

Quiſquis es, aſſiduus Spartam, quam nactus es, orna;
Nam dum *Sparta* viget; non dape *Sporta* caret.

66.

Honores periculoſi.

Quem *caſa* parva tegit, *caſus* vix ſentit iniquos;
Culmine ſed degens *fulmine* ſæpè ruit.

67.

Vis precum.

Cùm cruce preſſus homo cœleſtia limina pulſat;
Atque *Vocativus* flebilis eſſe ſolet.
Tunc *Ablativus* Deus eſt; mitiſque *Dativus*:
Aufert omne malum; *dat* Deus omne bonum.

68.

Ecce Homo!

Pondere *feſſus* erat, ſed verbere *fiſſus* Ieſus;
Vulnere *foſſus* erat; *faſſus* id Hoſtis * erat.

* *Pilatus.*

69.
Proceſſus Judiciarius.

Scilicet hoc certum eſt, qui coram judice *certat*,
Fortunas *curtat* perditus ille ſuas.

70.
Ex-per-i-entia.

Ex patria *per* agros *i* cautus, & *entia* diſce
Extera; ſic creſcens venit *Experientia* rerum.

71.
In Poëtaſtrum.

Eccur verſificem lauru te privet Apollo?
An, quia *ſarta* facis carmina, *ſerta* negat?

72.
Donum Euclionis.

Eſt liberalis Euclio,
Semelque dat *donarium*;
Sed quale dat? *denarium*.

73.
In Quandam auro coruſcam.

Niſa tuo fulgent aurata monilia collô!
Articuloſque manûs gemma coruſca premit.
Sic facie & manibus morbô vehemente laboras:
Eſt *chiragra* in digitis: *icterus* ore tuo.

74.
Quò ſuperior; eò humilior.

Sis licet excellens; tamen haut te turgidus *effer*;
Affer opem miſeris: & bonus *offer opes*.

75.
Deus auxiliator noſter.

Tempora juſta Deus novit; qui, quando fideli
Expedit, hunc ſapiens *expedit* ipſe malis.

76.
Epicuri de grege porcus.

Abdomen curans, *porcus* velut, eſſe videtur;
Eſt mera cura *ſui* nonniſi cura *ſuis*.

77.
1. *Cor.* 3. *v.* 16.

Hos, qui templa volunt divini Flaminis eſſe,
Non *mundana* decent pectora, *munda* decent.

78.

In Nomine Chriſti.

Omnia, quæ facies, in Chriſti nomine fiant:
Quæ ſic *acta* voles, rite peracta cadent.

79.

Labor cibi appetentiam ciet.

Hic cibus eſt ſapidus, quem condit aroma laboris:
Qui bene *prendit* opus, poſt bene *prandet* olus.

80.

Ad Eloquentiæ Studioſos.

Diſcite flexanimo fluitantia verba lepore,
Quæ *Cicero* princeps, ſive *Muretus* habet.
Sed pariter morum nitidos addiſcite cultus,
Ut ſit Muſarum Gratia juncta jugo.
Nam ferit is demum penitranti pectora Suadâ,
Qui *Moratus* * erit, quique *Muretus* erit.

* ἦθη.

81.

Pecuniæ omnia obediunt.

Obtinet is *palmam*, *palmam* qui munere replet;
Hoc *è re* fuerit, ſi gravis *ære* venis.

82.

Mores produnt hominem.

Noſcuntur Cereris granarìa *muribus* ipſis:
Noſcitur è propriis *moribus* omnis homo.

83.

Nares. Nates.

Nares atque *Nates* diſcernit litera: *Nares*
Immittunt, poſſunt mittere flabra *Nates.*

84.

Honor præceps.

Ut lapſu pejore ruas, tolleris in altum:
Saltus erit gravior, quò magìs *altus* eris.

85.

Luſus aliquot

In vulgatos Verſiculos, initia quatuor Anni partium deſignantes.

Verſus ſunt hi.

Dat *Clemens* hiemem: dat *Petrus* ver cathedratus:
Æſtuat *Urbanus*: autumnat *Bartholomæus*.

Luſus 1.

Dat *Clemens* hiemem ? non eſt *clementia* brumæ :
Inclementer enim frigore ſævit hiems.

Luſus 2.

Cur ver dat *Petrus* cathedratus ? an ergo Polorum
Cùm claves teneat, geſtet & ipſe ſoli ?

Luſus 3.

Æſtuat *Urbanus* ? magè *ruſticus* æſtuat æſtu :
Rure laboratur fortiùs ; *Urbe* minus.

86.

De Paula, Maritum crudelem habente.

Ad *Paulum Chriſtus*, cur in me perſuris* ? inquit :
Hoc jam *Chriſtiano* dicere *Paula* poteſt.

* *Act.* 9. *v*. 4.

87.

Alta cogitantes deſipiunt.

Perdidit is *mentem*, *montem* qui ſomniat auri :
Quique *ſtatu* eſt *altus*, quid niſi *ſtultus* erit ?

88.

Nonne vos præſtantiores eſtis illis ? Matth. 6. *v* 26.

Cur homo deſperet ? paſcuntur bruta feræque :
Gramina fert æſtas : *ſtramina* præbet hiems.

89.

Tumultus.

Quæris, quæ pariat frendens effecta *tumultus* ?
Exime T, *tumulum* nigraque buſta vides.

90.

Vinum Cos.

Non vos error habet, queîs *Cos* eſt nobile vinum :
Naturam vino *Cotis* ineſſe reor.
Cos acuit ferrum ; manet exors ipſa ſecandi ;
Innocuum vinum eſt : ebria turba nocet.

91.

Invidia.

Pinguiùs apparent alienæ fercula menſæ :
Craſſaque vicini, quàm tua *maſſa*, magìs.

92.

Recordari.

Quando *recordari* noſtri vult fidus amicus ;
tunc illius *cor* mihi poſco *dari.*

Dives :

93.
Dives: *Pauper*.
Is cum *lautitiis*, cum *lætitiáque* cibatur:
Hic cum *lætitia*; ſed ſine *lautitiis*.

94.
Dicitur ire Plato *pedibus*. Cur ergò vetuſtum
A latis *humeris*, * non pede, nomen habet?
* *Ab humerorum latitudine ſic appellatus eſt.*

95.
In peregrinationem cujuſdam menſtruam.
Sextius excedit *portâ*, *portumq́ue* ſalutat
Pillaviæ: denos ter manet ille dies.
Hinc redit: at reducem vulgus miratur & inquit;
Eſt *menſis*, quod abeſt: unde ſed *enſis* adeſt?

96.
Diverſa Diverſorum Efficacia.
Camphora non gignit tales, velut *amphora*, motus;
Scilicet hæc * Venerem ſuſcitat; illa † necat.
* *Ter. Eunuch.* 4*5*. *Sine Libero friget Venus.*
† *Juxta vulgatum, Camphora per nares &c.*

97.
Concubina.
Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt:
Hoc ſe felicem nomine Tuſca putat.
* *Horat. in Epiſt.*

98.
Senile Conjugium.
Quæ frigeſcentis vetulæ das oſcula labris;
Non das propter *opus*, ſed modò propter *opes*.

99.
Vale.
Me mento mentique tuæ defige ſodalis;
Sicque ſodalitii ſæpe *memento* mei.

100.
Diſtichon
A Virgilio in laudem Auguſti compoſitum; ut refert Æl. Donatus in Vita Virg.
Nocte pluit totâ; redeunt ſpectacula manè;
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Ini-

Imitatio Poëtæ alterius ingenioſi.

Nocte bibo totâ; redeunt convivia manè;
Diviſum imperium cum bove venter habet.

Imitationes noſtræ.

1.
Bacchanalia.

Nocte bibo totâ; redeunt farcimina manè:
Diviſum imperium cum ſue Bacchus habet.

2.
Nubila; Jubila.
Pſal. 30. *v.* 6.

Nocte fleo totâ; redeunt nova jubila manè:
Diviſum imperium cum cruce plauſus habet.

3.
Magiſtratus.

Nocte vigil jaceo; redeuntque gravamina manè:
Cognatum imperium cum grue { Cæſar / Conſul } habet.

4.
Maritus.

Nocte regit mulier: redeunt mea munia manè:
Diviſum imperium cum mare & uxor habet.

5.
Sol: Luna.

Luna nitet noctu: Titan redit æthere manè:
Diviſum imperium cum face Phœbus habet.

6.
Caro: Piſces.

Luxus amat carnem; poſcunt jejunia piſces:
Diviſum imperium cum bove piſcis habet.

7.
Canis: Felis.

Fele vagi mures; fures cane nocte fugantur:
Diviſum imperium cum cane felis habet.

8.
Pater: Mater.

Lac genitrix ſoboli; panem pater optimus offert:
Diviſam curam cum Patre mater habet.

Plu-

9.
Pluvia: Nix.

Spargit bruma nives: imbres æſtate liqueſcunt:
Diviſos menſes cum nive nimbus habet.

10.
Turdus: Botulus.

Autumnus turdos: botulos dant Orgia Bacchi:
Diviſum tempus cum ſue turdus habet.

11.
Cibus; Potus.

Fercla famem ſolvunt: ſitis arida fonte levatur:
Diviſum munus cum dape potus habet.

12.
Tyranni & Rhamni comparatio.

Spina manum pungit; juſtos premit ira Tyranni:
Cognatum crimen cum vepre ſævus habet.

Chriſtus: Mors.

Mors * reprobis, Chriſtúſque piis dominabitur aſtris:
Diviſum imperium cum nece Chriſtus habet:

* *Apoc.* 20. *v.* 6.

FRIDERICI HOFFMANNI Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA SEPTIMA.

Nobiliſſimis, Spectatiſſimis, Conſultiſſimis VIRIS,

DN. DANIELI DRABITIO,

Annô inſtanti Præſentantis, quam vocant, Communitatis Advocato, & Suburbiorum Judici:

ET

DN. ANDREÆ WILMSONIO,

Annô ſuperiore Communit. Civium Advocato, & Judici Suburbano;

Fautoribus & Amicis ſuis nullô non tempore ſuſpiciendis,

Has Facetias Epigrammaticas acceptas eſſe optat

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA SEPTIMA.

I.

Providentia Divina.

Quis putat, hunc mundum nullô Rectore moveri?
Præſens & *Præſes* regnat ubique DEUS.

2.

Tempore perſecutionis fugere Paſtori non eſt licitum.

Qui veniente *lupô* fugiendo deſerit *agnos*,
Non eſt *Theiologos*; ſed modo *Theiolagos.* *

* *i. e.* DEI *Lepus.* λαγὼς, *lepus.*

3.

Cic. Orat; in Piſon.

Cedant arma togæ; concedat laurea linguæ.

Non tot pugnandô ſuperavit *Tillius* * hoſtes;
Quàm vicit Romæ *Tullius* ore Viros.

* *Johannes Tzerclaſius Comes* Tillius *ſub Ferdinando* II. *Imp. feliciſſimus tredecim Annorum bellator, & ſummus militiæ dux fuit, ut ſcribit Waſſenb. Flor. Germ. p.* 234.

4.

Publius Virgilius Maro.

Quot ſcripſére libros, quos nox tegit atra, Poëtæ?
Publicus eſt ſcriptor *Publius*, ille Maro.

5.

Viſui & Olfactui contraria.

Diverſos ſenſus *fumus fimúſque* laceſſunt:
Fumô oculus; *fimô* naſus olente dolet.

Con-

6.

Conjugium Juvenis & Anûs.

Vir Juvenis vetulam nummatam duxit: is hujus
Attigit *æra* frequens: attigit *ora* minùs.

7.

Detrimentum Arithmeticum.

Quæris, quale bonum portet mihi Reguli *Detri?*
Huîc *mentum* apponas; illicò certus eris.

8.

Cornuti & Signiferi equeſtris comparatio.

Cornutus modicùm *corneti* munere diſtat:
Hic vexilla *manu*; *fronte* ſed *ille* gerit.

9.

Seneca ſcriptor prudens.

Cur *Senecæ* * *ſenium* nomen tribuiſſe videtur?
Quòd mens in libris tota *ſenilis* ineſt.

* *Senecam dictum, quod canus natus ſit, Caſſiodorus tradidit Cœl. Rhodig. l. 24. c. 25.*

10.

In Vulgatum

Oculus Domini ſaginat Equum.

Pabula nummus emit; Domini ſed cura miniſtrat:
Dic, *oculô* an *loculô* num ſit obeſus Equus?

11.

Aquam cribrô haurit.

Qui *ſaccô ſeccum ſiccô*, *ſoccôque* madentem
Includit *ſuccum*; quis niſi ſtultus erit?

12.

Fatum Pyrami & Priami.

Pyramus & *Priamus* lethô periére cruentô:
Inflictâ vitam perdit uterque plagâ.
Nomina ceu parvô diſtant; ſic *Omina* diſtant.
Hoſtis *Hic* * enſe cadit, ſed cadit *Iſte* † ſuô.

* *Priamus, Rex Trojæ, captô Iliô, à Pyrrho Achillis filio prope aram Jovis occiſus eſt, Virg. 2. Æn.*

† *Pyramus adoleſcens, Thisbes amator, eô, quô accinctus erat, gladiô ſeipſum interemit, Ovid. lib. 4. Metam.*

13.

Anagr. Dolium: Idolum.

Perdius & pernox Bacchi qui pocula ſiccat,
Hic, *idola* velut, *dolia* plena colit.

Phyta-

14.

Pythagoræ Modeſtia
in recuſando Sophi titulo, Cic. Tuſc. Q lib. 5.

φυλοσόφους * pleroſque *Sophos* quia viderat eſſe,
φιλόσοφον Samius ſe vocat ille ſenex.
* φῦλος, *impoſtor, fallax.*

15.

Venus Cerere dulcior.
Ex Ovid. Met. 1.

Pana DEUM, credo, nympham Syringa ſecutum,
Oblitum *Panem*, deliciaſque cibi.

16.

Trajanus Principum Romanorum optimus.

Si ſcribi meruit *Trojanus* carmine Græcô;
Trajanus Latio carmine dignus erat.

17.

In bellum Suecico-Cæſareum.

Cùm quondam *Suecus* cum *Cæſare* bella gerebat:
Tunc *Aquila* atque *Aquilo* conſeruere manus.

18.

Multitudo DEORUM.

Cæca DEOS varios hominum devotio fingit:
Hic precibus *Solem* ☉ poſtulat; ille *Solum*: ☽
Hic *Lenam* ♂ ſupplex veneratur; & ille *Leanam*: ☿
Invocat hic *Lucum* ♃, ſed colit ille *Lacum* ♀
Deſine tam fragiles demens homo fingere Divos:
Sunt gens *Vana* tui; genſque *profana* Dii.

☉ Ut Egyptii, Perſæ & alii.

☽ Ut Priſci Germanorum Populi, *Tac. de. Mor. Germ.*

♂ Ut Venerem.

☿ Ut Ambraciotæ.

♃ Ut olim lithuani, *Crom. l. 15.*

♀ Ut varii Veterum.

19.

Ebrioſus regni DEI heres non erit:
1. *Cor.* 6. *v.* 19.

Crebra *ſalus* nullam ſugit potandô *ſalutem:*
Aſt *Orcum* ex *orcis* * ebria turba bibit.

* *Orca vas vinarium.*

20.

Odium Iracundiæ & Superbiæ.

Cur favet *iratis* nemo bonus atque *ſuperbis?*
Felle quòd ille ſcatet: *Folle*, quod iſte tumet.

21.

Uxor mala malum neceſſarium.

Uxor prava malum, quô non conjunctius ullum:
Quod *fugere* ipſe nequis; quodque *fugare* nequis.

22.

Mors ſternit fortes.

Robore nè fidas; tibi non mors improba parcet,
Æreus ut fueris, aërinſque caput.

23.

In Bilinovem.

Frigus & *ardorem* * ſpiras ſimul ore doloſô:
Diverſi generis per *labra flabra* volant.

* *Ex eodem ore calidum & frigidum efflare. Er. Ch.* 1.
C. 8. *Ad.* 30.

24.

DEUS eſſentiâ unus; Perſonis trinus.

Non Pater eſt *aliud*, quam Verbum & Numinis Aura:
Sed Pater eſt *alius*, quam λόγος, Aura DEI.

25.

Præſides quatuor Anni Partium.

Flora, Ceres, Bacchuſque regunt tria jugiter anni
Tempora: cui ſupereſt quarta regenda DEO?
Flora, præeſt Veri: *Cereri* committitur Æſtas:
Autumni *Bacchus* dux: Hiemiſque *Venus*.

26.

Fortunæ Reciprocationes.

Vertex & *Vortex* duo ſunt habitacula Sortis:
Mox vehit in *Cœlum*; mox in *Averna* trahit.

Virtute,

27.
Virtute, non muro fidendum.

Mœnia ſtructa juvant: verùm fiducia major
Sit *manibus*; levior *mœnibus* eſto fides.

28.
Quare Sol (Die Sonne) *cum Articulo Fœminini Generis apud Germanos efferatur.*

Teutonis Uxorem SOLEM Germana vetuſtas
Credidit: hinc Generis SOL muliebris erat.
Confer Aventin. lib. 1. *Annal. Bojor.*

29.
Hæreſis Neſtorii.

Quiſquis *Neſtorios* animô fovet hæreſis auſus,
Non eſt *Neſtoreos* dignus adire dies.

30.
Vulgus.

Beſtia multorum *capitum* quid Vulgus habetur?
Quod *capite* orbatum, rectà ſequente furit?

31.
Flebilis hominis in vitam introitus.

Naſcitur in mundum mortalis homuncio plorans:
Flens vitæ *limen*, triſteque *lumen* adit.

32.
Pingui Minervâ.

Vermis triticeâ, *Pinguis* * ſi creſcit, ariſtâ
Innaſci rodens optima grana ſolet.
Tinea cum Momi noſtros edat invida luſus;
Indicium eſt, *pingues* nos ceciniſſe ſonos.
* *Columell. Pinguiſſimo tritico vermiculi innaſcuntur.*

33.
Gloria ex Virtute.

Gloria virtutum *capitur*, *metiturque* labore:
Merces & *merges* dicier ergò poteſt.

34.
Religio Marculi.

Non *Marcus* atque *Marculus*
Profeſſione ſunt pares:

Euangeliſta *Marcus* eſt
Enthuſiaſta *Marculus*.

35.
Crœſus Herod. lib. 1.

Qui prius in *turri* celſaque ſedebat in aula,
Poſt miſer in *torri* flammigerante ſedet.

36.
In Philoſophaſtrum.

Fas erat, auderes facinus *majoris abollæ*: *
Sed tu vix *ollâ* digna *minore* facis.

* *id eſt, profeſſionis Philoſophicæ*, Juven. Satyr. 3.

37.
Dixit, & factum eſt.

Nunquam deficiunt præſtandis Numina dictis:
Quæ ſunt *fata* DEI, ſunt ea *facta* DEI.

38.
Fercula Nuptialia.

Stilpo maritalem ducta cum *Phyllide* cœnam
Inſtruit, at tantùm fercula bina parat.
Nil *Vervecinam* præter dat, & *anſeris* aſſum:
Nam Sponſus *vervex*, Sponſaque *ganſa* fuit.

39.
Ad ſtudioſum aleatorem.

Alea te fallax juvat, & *lapis* ater & albus:
Tractas *Cornelî* ſic opus *à Lapide.*

40.
Segnis, quaſi ſine igne, Iſid. lib. 10.

Dicitur is *Segnis*, quicunque *ſine ignibus* extat:
Cur *Veris* * *Segnes* non facit ergò *calor?*

* Der Lentz nimmet Knechte an.

41.
Simon & Simeon.

Simon * & *Simeon* † memorantur Codice Sacrô:
Hic *Chriſtum*; *Chriſti* ſed tulit ille crucem.

* *Luc.* 2. *v.* 28.
† *Matth.* 17.32. *Marc.* 15.21. *Luc.* 23.26.

42.
Opto, Oro, Obſecro, Obteſtor.

Cur O literulam tot verba petentia monſtrant?
Cur hanc præpoſitam limine vocis habent?

Forſitan hunc apicem ſibi verba precantia poſcunt,
 Ipſe quòd Optantis, vimque rogantis habet. *
* *O deſiderantis ac optantis affectum exprimit.*

43.
Teſtudo vincit Aquilam.

It teſtudo gradu *repente*, nec ire quieſcit:
 Sic prior ad metas ipſa *repentè* venit.

44.
Mori *uſitatè eſt* Tertiæ: Moriri *apud Veteres interdum etiam erat* Quartæ.

Cur crebrò *moreris* legimus, raroque *morĭris*?
 Mors rarò *tardè*, ſed *citò* ſæpe venit.

45.
In Cujuſdam Phyſicam.

Non hic *rore* liber fluit; aſt *errore* redundat:
 Multa *errata* tenet; ſed *rata* pauca docet.

46.
Aëris & Æris neceſſitas.

Nullus in hoc mundo, quando caret *aëre*, *ſpirat*:
 Nullus & *ære* carens divite *ſperat* homo.

47.
Nomen ſine actu non facit Philoſophum.

A Φ non multùm Græcum Ψ diſtat: in illo
 Circulus eſt clauſus, circulus alter hiat.
Utraque ſic quoniam cognata eſt litera; quidni
 Philoſophus quidam ſit quoque *Pſiloſophus*?
* ψιλὸς *tenuis, exilis, nudus.*

48.
De fortitudine Veteris & noſtræ ætatis.

Armô fortis erat, *brachiô nitente*, vetuſtas:
 Hæc ætas *armis* ære *nitente*, valet.

49.
Arſenicum Pœnitentiale
In Annum Chriſti 1662.

Angeris, ex agro quî poſſis pellere *mures*?
 Mures, ſi *mores* corrigis, inde fugas.

50.
Conſilia conſiliant.

Pauca Senatorum *conſeſſus* commoda gignit:
 Si non *conſenſus* mentis amicus adeſt.

51.

Celeritas & Conſtantia in bono.

Ocyùs incipiens juſti nè deſere curſum :
Sed fac *continuò* continuéque bonum.

52.

Germanica Matheſeos & Poëſeos Lumina.

Primus Ephemerides *Johannes* * nomina *Regis*
Monte tenens, noſtris prodidit Autor avìs.
Conrado Celti † Primam Germania laurum
Obtulit: inſignes hos cole Teuto Viros.

* Johannes Ægiomontanus *Francus Germanus primus omnium Anno Chr.* 1456. *Ephemerides, quas vulgò Calendaria vocant, edidit, eaſque Matthiæ Corvino Hungariæ Regi inſcripſit, à quo honorarium* 1000 *aureorum reportavit. Tam gratus autem labor ille Ephemeridum tum temporis fuit, ut ſingula Exemplaria* 12 *aureis Hungaricis venderentur. Lege plura apud Melch. Adamum in Vitis Philoſophorum Germanorum.*

† Conradus Celtes *Protucius Francus, primus in Germania à Friderico III. coronatus eſt; qui in Collegio poëtico, quod Maximilianus Anno* 1551. *in Academia Viennenſi conſtituit, hanc artem ſummâ cum laude profeſſus eſt.*

53.

Bellorum diverſitas.

Aut decus, aut vitium bellô ſeſe exerit omni :
Pro ditione bonum eſt; *Proditione* malùm.

54.

Armentum: Armamentum.

Armamenta juvant inſtantis tempore belli :
Aſt *armenta* bonæ tempora pacis alunt.

55.

In ἀγεάμματον.

Scribendi rudis es, primam nec pingere nôſti
Literulam : Sus * te ſcribere plura poteſt.

* *Cic. de divinat: Sus roſtrô ſi humi A. literam impreſſerit, num propterea ſuſpicari poteris &c.*

56.

Dialecticæ & Sophiſticæ Diſcrimen.

Conjicit argutâ verum Dialecticus arte :
Conjicit in verum tela Sophiſta dolô.

Epicuri

57.

Epicuri & Pythagoræ Convivium.

Inſtaurat *lautas* Epicuri amentia cœnas:
Pythagoræ *lætas* ſufficit eſſe dapes.

58.

Placabilis.

Eſt Vir pacis amans; eſt vir *placabilis* ille:
In quo *placari bilis* amara poteſt.

59.

In Phraſin Cujuſdam Potoriam.
Uſque ad Non Eſt.

Quando bibis vitro, bibis *uſque ad* inutile *Non Eſt:*
Eſt hæc potanti formula grata tibi.

60.

Diſcrimen Agyrtæ & Pharmacopæi.

Pharmacopola parat, parat & medicamen *Agyrta*:
Pharmacon is *vendit, venditat* iſte ſuum.

61.

Regna ſuas habent periodos.

Formatum mundô videas ſæpiſſime Regnum:
Firmatum nunquam: regna ſtatúſque cadunt.

62.

Ad Luxurioſum Juris Studioſum.

Romulidûm leges, *Digeſtaque* publica ſpernis:
At *digeſta* tuo fercula ventre probas.

63.

Mendacii Inſimulatio.

Diſcordes bini litem rixantur acerbam,
Et ſe *mendacis* crimine utrinque notant.
Unus ait: nimiùm mentiris peſſime, ſicut
Aſtrologus, faſtos cùm facit ille ſuos.
Alter ait contrà: quin tu mentiris, ut illa
Concio, quam ductô funere *Paſtor* habet.

64.

Mars belli; Venus Amoris præſes.

Pugnos & *pugnas* exercet Marſpiter audax:
Venas & *venias* tentat amica Venus.

65.

Vitrum irreparabile.

Qui fractum penitus poterit componere *vitrum*,
Hic vel *Vitruviô* vir mihi major erit.

66.

Officium Suſceptoris.

Non malè Suſceptor venit ad Baptiſmatis actum:
Qui *Patrinus* erat; deinde *Patronus* erit.

67.

In illud Simeonis:

Domine, nunc dimittis ſervum tuum in Pace.

Non DEUS æquali *dimittit* funere *ſervos:*
Nempe *in Pace* bonos: *in pice* nempe malos.

68.

Rarum ſine vitio ingenium.

Cultius *ingenium* culto confertur agello:
Hic rarò *vitis*; id *vitiiſque* caret.

69.

De Apolline.

Intonſos ſemper vultus habet augur Apollo:
Intenſos * arcus non ita ſemper habet.

* Horat. lib. 2. Od. 10. *Neque ſemper arcum tendit Apollo.*

70.

DEI cogitationes non ſunt, ut cogitationes hominum,
Eſai. cap. 55. v. 8.

Quod *proponit* homo; *diſponit* ab æthere Numen:
Optat homo multum; nec DEUS *aptat* idem.

71.

In ineptum Matthæi Euangeliſtæ Commentatorem.

Dum tractas ſtolidis Matthæi dogmata ſcriptis,
Fis *Matthæologus*; fiſque *matæologus*.

72.

Veneris triplicis diſcrimen.

Aſtronomi Venerem; Veneres & *Rhetoris* ambi:
Sed fugias Venerem, quam *Procus* ambit iners.

73.

Votum militare.

Ut dextrè ex animi ſuccedant omnia voto;
Hoc aliis crebrò lingua precando vovet.

Sed

Sed malè *bellanti*, quicquid vovet ipſe, precamur:
Hic, *ut ſe Satanas auferat*, ore vovet.

74.

Wer ſchuld bezahlt/ beſſert ſein Gut.

Se miſer *adſtringit*, qui multò *obſtringitur* ære:
Æs *ſolvens* aliis, ſe quoque *ſolvit* homo.

75.

De Syncretiſta.

Quid *Syncretiſtam* faciat te, quærere nolo:
In promtu cauſa eſt, *Cretica* vina bibis.

76.

Effectus Ebrietatis.

Non *Liber* mentes à curis *liberat* omnes:
Si *cor dolium* amat; *cordolium* cor amat.

77.

Cornutus.

Tum *ramoſa* Viri fœdis frons cornibus exit:
Cùm *rimoſa* nimìs mobilis uxor erit.

78.

Virtutis fructus Gloria.

Si *virtute* bonâ vis inclareſcere laude,
Tum *vir tute* bonus, laudeque clarus eris.

79.

In Epigrammato-Maſtiga.

Germanis tantùm pangi mea Carmina, clamas?
Non nego, Germanis carmina noſtra ſtruo.
Sic *Europæis* ſtruo, quâ Germania floret:
Tu ſtruis aſt *Afris*. nam mera monſtra paris.

80.

Proprium Bacchi & Veneris.

Adjectiva parùm diſtant hæc; *nudus* & *udus*:
Hoc Baccho gratum eſt: *id* cupit alma Venus.

81.

De Cereviſia.

Neptunus Cereri miſcetur; ut inde coquatur
Ad reſtinguendam potio grata ſitim.
Hîc quoniam cum *Fratre Soror* miſcetur in unum;
Annon *inceſtu* naſcitur ille liquor?

82.

Ad Philoſophaſtrum.

Philoſophos quondam Sapientes Græcia dixit:
Tu Latio *vilis* diceris eſſe *Sophos*.

83.

Senex munuſculis Juvenculæ amorem captans.

A Sene donatur, radians *adamante*, Puellæ
Annulus, ut gemmâ concilietur amor.
Reſpuit hunc Virgo verbis cum talibus: Opto
Abs *adamante* capi; non *adamante* capi.

84.

Etymologia Alluſiva.

Fortunâ es *natus*, ſi *fortunatus* haberis:
Et ſi *proſper itas*, eſt tibi *proſperitas*.

85.

Ad ſtudioſum Rhetorices, Aleatorem.

Te tractare decet *Dreſſeri* Rhetoris artem;
Sed tu *Dreſleri* * de trabe volvis opus.
* *i. e. Tornatoris.*

86.

Beatitudo Vitæ Ruſticæ.

Sanctiùs in villa, vaſtâ quàm vivitur Urbe:
Taliter Urbanam ruſtica vita præit.
Nam Lacrymandô genas Chriſtus ſuper Urbe rigavit:
Perfudit villa non ſuper Ipſe genas.

87.

Objectum Eccleſiaſticum & Politicum.

Sacratas tractant templorum pulpita cauſas:
Curia *ſecretas* res agitare ſolet.

88.

Cur Filiæ Matrem præcedant: Filii Patrem ſequantur.

Ante oculos propriæ præcedit Filia Matri:
Scit Mater, Natas ſe peperiſſe ſuas.
Filius à tergo Patrem comitatur euntem;
Ambigit is, Natos ſe genuiſſe ſuos.

89.

In Quendam, ſtatim à cibo ſumto obdormiſcentem.

Protinus à cœna declinas lumina ſomnô:
Pronus & in *cubitum*, ſuaviter is *cubitum*.

Trahit

90.
Trahit ſua quemque Voluptas.

Militibus Potior, quàm *bellica*, nulla voluptas;
Non oblectamen majus *amore* Procis.
Sic hominis variat ſententia: collocat iſte
In *Martha* ſummum; *Marte* ſed ille Bonum.

91.
Joh. 1. *v.* 11.

Rejecere *ſui* venientem in propria Chriſtum:
Sed quis, quæſo, *ſuos* non videt eſſe *ſues*?

92.
Vetula Nupturiens.

Ad Te ſæpe quidem *tendit* verſutus amator;
Intendit nummos ſed vafer ille tuos.
Nube viro; nummos ubi dedes, illicò Nuptæ
Fœnore lætus erit; *funere* lætus erit.

93.
De Zachæo Publicano.

Zachæo parvi tribuuntur corporis artus:
Tantùm elementorum vir fuit ipſe trium.

94.
Alluſio.

Unicus eſt veteri notus *Suetonius* ævô,
Qui quoque *Tranquillus* nomine dictus erat.
Suetoni plures hodie cernuntur in Orbe:
O ſi *tranquilli*, *pacificíque* forent!

95.
Virgo Juvenem Seni præfert.

Nubere num vetulo quæſita Juvencula mallet,
Reſpondit; vetulo nubere nolo ſeni.
Nam grandævi cunctabundus vadit humi pes:
Nunc ſtat: nunc it: nunc frangitur illicò crus.
Nubere num Juveni quæſita Juvencula mallet,
Reſpondit; Juveni nubere malo viro.
Nam faciles celerare pedes, agitare lacertos
Præcipiti Juvenis mobilitate valet.

96.
In Moroſum.

Te quoties video, *caperatâ* fronte videris:
Quid vetat, occiſus quin videare *caper*?

97.

Virgilius Auguſti Stabularius.

Cæſaris Auguſti quondam paviſſe *caballos*,
Et curâſſe frequens fertur *equile* Maro.
Non nego; ſed dubium nullum mihi mente relictum eſt;
Quin fuerit præſens *Pegaſus* inter *equos*.

98.

Diſtinctio.

In ſano ſenſu: placet hæc diſtinctio doctis:
Inſanô ſenſu dicta Sophiſta rapit.

99.

In Quandam,

Quæ amatoriô ROSÆ titulô ſibi impenſè blandiebatur.

Vis te *Roſam* vocari?
Nunc te *Roſam* vocabo.
Peco-*roſa*, ſterco-*roſa*,
Squa-*roſa*, & ulce-*roſa*,
Vi-*roſa** es, & vi-*roſa*, †
Hume-*roſa* es, & lab-*roſa*,
Monſt-*roſa* es, & to-*roſa*,
Mo-*roſa* es, & Scab-*roſa*,
One-*roſa* es, & Nit-*roſa*,
Saleb-*roſa* es, & Pet-*roſa*,
Umb-*roſa* es, & Stup-*roſa*,
Scele-*roſa* es, & Prob-*roſa*.
Nunc te *Roſam* vocavi.
Vis te *Roſam* vocari?

* *Venenô abundans.* † *Viri appetens.*

100.

Certamen Variatorium

Menalcæ & Damœtæ.

M. Quin age, ſi quid habes; in me mora non erit ulla.
D. Alternis dicemus: amant alterna Camenæ.
M. *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*
D. Felix, quem faciunt aliena incommoda cautum.
M. Felix, quem faciunt aliorum debita cautum.
D. Felix, quem faciunt aliorum cornua cautum.
M. Felix, quem faciunt aliorum jurgia cautum.
D. Felix, quem faciunt aliorum ſtigmata cautum.

M. Fe-

M. Felix, quem faciunt vulgi mendacia cautum.
D. Felix, quem faciunt ſortis ludibria cautum.
M. Felix, quem faciunt perlecta volumina doctum.
D. Felix, quem faciunt conſcripta volumina notum.
M. Felix, quem faciunt verbi ſolatia certum.
D. Felix, quem faciunt cœli myſteria mutum.
M. Felix, quem faciunt virtutum emblemata pulcrum.
D. Felix, quem faciunt virtutum præmia gnavum.
M. Felix, quem faciunt purgata piacula mundum.
D. Felix, quem faciunt animi ſua gaudia lætum.
M. Felix, quem faciunt recti molimina gratum.
D. Felix, quem faciunt juris dictamina juſtum.
M. Felix, quem faciunt peragenda negotia promtum.
D. Felix, quem faciunt ſervata ſilentia fidum.
M. Felix, quem faciunt tectorum habitacula ſiccum.
D. Felix, quem faciunt plumata cubilia caldum.
M. Felix, quem faciunt plantæ medicamina ſanum.
D. Felix, quem faciunt famæ præconia clarum.
M. Felix, quem faciunt congeſta numiſmata ditem.
D. Felix, quem faciunt belli conamina fortem.
M. Felix, quem faciunt regni diademata celſum.
D. Felix, quem faciunt fortiſſima mœnia tutum.
M. Felix, quem faciunt fidei fundamina ſalvum.
D. Felix, quem faciunt cœleſtia Numina fauſtum.
M. Non noſtrum, inter nos tantas componere lites.
D. Claudamus tandem rivos; ſat prata biberunt.

FRE-

Friderici Hoffmanni Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

Centuria Octava.

VIRIS

Nobilibus, Spectatiſſimis, Conſultiſ.

DN. CONRADO VOIDIO,

JCTO:

ET

DN. MICHAELI MEIEN-
REISIO,

Civi Ornatiſſimo,

Fautoribus ac Amicis omni
honoris cultu proſequendis

*Hos Sales Epigrammaticos
proprios eſſe jubet*

AUTOR.

LUSUUM EPIGRAMMATICORUM

CENTURIA OCTAVA.

I.

Proprium Hæretici & Paſtoris mercenarii ex Matth. cap. 7. v. 15. & Joh. 10. v. 12.

QUid facit *Hæreticus?* quid *Mercenarius* audet?
Ceu *lupus* ille rapit: ceu *lepus* iſte fugit.

2.

Fides Theologica & Mercatoria.

Templa Forumque *fidem* laudant: laudabilis illa,
Si benè *ſalvat*; & hæc, ſi benè *ſolvit*, erit.

3.

Librorum Ariſtotelicorum obſcuritas.

φιλόσοφος fuit excellens, ſatus urbe Stragirâ;
φιλοσαφὴς * verò non ſatìs ipſe fuit.

* σαφὴς, *perſpicuus. Vide Ariſt. Epiſtol. ad Alexandr. apud Gellium, l.* 21. *c.* 4.

4.

De Tullo *Hoſtilio tertio Roman. Rege, & de Marco* Tullio *Cicerone.*

Tullius & *Tullus* Romanæ præfuit Urbi:
Rex fuit iſte potens: Conſul at ille fuit.
Fulmine percuſſus *Rex* eſt; ſed fulmine linguæ
Percuſſit *Conſul* multipotente vires.

5.

Habitus Virtutis non ineſt vobis à Naturâ, ſed Exercitatione, Ariſt. 2. Eth. Nic. c. 1.

Connatus non eſt habitus virtutis in ullo:
Conatus talem ſedulitate facit.

6.

Groſſe Städte; groſſe Sünden.

Si *Vacua* eſt regio; ſceleris *vacat* auribus illa:
Sique ſcatet vicis; tum *vitiiſque* ſcatet.

Papy-

7.

Papyrii Rateptati Taciturnitas, Gell. lib. 1. c. 23.

Ut ſatis ornetur reticente *Papyrius* artu
Conſpicuus; ſatis haut una *Papyrus* erit.

8.

In Cenſores iniquos.

Qui noſtram damnat nullâ ratione Camænam,
Non mihi *Lector* amans; ſed mihi *Lictor* erit.

9.

De gemino Sidere, quod Urſam Majorem & Minorem Aſtronomi vocant.

Non modò ſe terris condunt ſylveſtribus Urſæ;
Sed quoque ſidereô promicat Urſa Polô.
Conveniunt caput atque pedes, & cætera membra:
Monſtrat diſſimiles unica cauda notas.
Surrigit elatam cœleſtis in æthere caudam:
Terreſtris caudam *dejicit* Urſa ſuam.

10.

Diverſi ſenſus diverſa habent Objecta.

Senſibus objectus *nitor* eſt *nidórque* duobus:
Nidor obit nares; lumina noſtra *nitor*.

11.

Præceptum Morum.

Si quis non adfert *lautas* ad prandia palmas;
Nec palmâ *lautas* tangat is ipſe dapes.

12.

Pertinacia Populi Judaici in petendo Rege, 1. Samuel. c. 8.

Regia Majeſtas Cœlis *exorta* videtur:
Aſt *extorta* magìs deſuper illa fuit.

13.

Doctrina honorabilis.

Quiſquis *Palladias* coluit vigilantior artes,
Hunc, ceu *Palladium*, quilibet Orbe colit.

14.

Supplicium Promethei & Tantali.

Caucaſeâ vinctus pœnas dat rupe *Prometheus*:
Et Stygis infernô *Tantalus* amne luit.
Hic dum captat aquas, vultur dum lancinat illum,
Squalidus ille *ſitu* eſt; languidus iſte *ſiti*.

Deſpe-

15.
Deſperatio.
Spes *inciſa* mihi eſt; res eſt *occiſa:* quid ergò
Inciſo, occiſo plus ſupereſſe poteſt.

16.
Ariſtocratia Poloniæ Cerealis.
Sarmaticô Regnô regimen reperitur *ἄριςον:*
Multa Polonorum creſcit *ariſta* ſolô.

17.
Conſcientia facinoroſa Furia aut Dæmon hominis eſt.
Si quis *conſcivit* facinùs crudele ſcienter;
Is ſibi *concivit* Dæmona corde ſuô.

18.
Hominum perverſitas extremi diei ſignum.
Mundus it *immundus*; furit *Orbis* moribus *orbus:*
Sic propè ſtat *funus*; ſtat propè *finis* ei.

19.
De Origine Proverbii Germanorum.

Eß iſt ein Gänſe-Glauben.

Bojemis quondam vixit prius *Huſſus* in oris,
Nomine quò *ganſam* lingua Bohema notat.
Ipſius abſurdum multis, rationis & expers,
Dogma videbatur; nec bene ſana fides.
Hinc quicquid nullâ vulgo ratione probatur,
Hæc Huſſi multis eſt vocitata fides.
Taliter hinc ortum vulgata parœmia traxit:
Quod vanum eſt, dicunt *Anſeris eſſe fidem.*

20.
Nullum ſine venia placuit ingenium.
Non placet ingenium rectè ſine divite *vena:*
Ingenium *venia* nec ſine rite placet.

21.
Martis & Veneris Bella.
In Veneris caſtris fervet *certamen amorum*:
Armorum in caſtris *prœlia* Martis erunt.

22.
Officium Magiſtri & Miniſtri ex Etymologia alluſiva.
Eſſe *Magiſter* aves? ſtudeas catus eſſe *magis ter:*
Eſſe *Miniſter* aves? *ter minus* eſſe ſtude.

Ma-

23.
Materia Baptiſmi.

Res binæ faciunt ſacri Baptiſmatis actum:
Fluminis una *ſolô: Flaminis* una *polô.*

24.
Non omnia poſſumus omnes.

Non vires Natura ſuas tranſfundit in unum:
In flores proprium dividit ipſa decus.
Inſpice ſurgentes *tulipas, violáſque* jacentes:
Hinc tibi *fragrat* odor; ſed *flagrat* inde color.

25.
In Naſutum.

Non tantô *niſu niſus* levis erigit alas;
Quantô ſe *naſus* ſurrigit ille tuus.

26.
Vitæ Fragilitas.

Vivere tot ſperes, quot *cornix* victitat, annos?
Mox *cor, nix* veluti colliquefacta, perit.

27.
Cornelius Nepos.

Grajugenûm vitis vitam dat penna *Nepotis*:
Illius hinc ſerô fama *nepote* viget.

28.
De Dominicâ Septuageſimæ & Oculi.

Sacra dies *Oculi* nota eſt: præcedit eandem
Hebdomadâ quintâ, ſacra dies *Loculi.* *

* *Matth.* 20. *de operariis, denarium accipientibus.*

29.
Ad ſecundam inſtantiam.

Pamphilus ambibat Gretam; dedit ipſa repulſam:
Nom ambire tamen deſtitit ille *procus.*
Qui *procus* ante fuit, fuit inde *reciprocus* ille:
Victa fuit votô poſteriore Venus.

30.
De Diocletiano Imperatore qui poſt 20. annorum imperium eô ſe abdicavit, & in villâ propè Salonam Dalmatiæ oppidum decennium in hortulorum cultura tranſmiſit.

Qui rexit *populos*, regit ipſum *populus* arbor:
Quem coluit *ſolium*, poſt *colit* ipſe *ſolum.*

Pæni-

31.
Pœnitentia.

Seria ſi fuerit, nunquam eſt converſio *ſera*:
Sera tamen rarò *ſeria* prorſus erit.

32.
Odium Civile.

Qui juſtos odiô *civili* duriter urget,
Hunc quis *civilem* dixerit eſſe virum?

33.
Oppoſita Fortitudinis & Modeſtia.

Fortis es ac humili virtute *modeſtus* haberis,
Quando *timore* vacas, quando *tumore* vacas.

34.
Sepultura hominis & beſtiæ.

Exuvias hominis, vitali lumine caſſi,
Injectâ putri contumulamus humô.
Aſt homo mactatas pecudes in corpora condit:
Et ſua brutorum viſcera carne replet.
Sic homines recubant vili poſt fata ſepulcrô:
Beſtia ſed tumulô nobiliore jacet.

35.
Diſſimilitudo Cornuti & Vexilliferi equeſtris.

Cornetti capiunt; *Cornuti* ſigna capeſſunt:
Dedecus his: illis dant ſua ſigna *decus.*

36.
Studiorum moleſtiæ.

Quisquis continuos *contrivit* in artibus annos,
Contritum ſtudiis ſe videt eſſe ſuis.

37.
A Scribis *nomen mite* Senatus *habet*, Ovid.
Laudo *Senatores*, ſi ſunt præclara *gerentes*,
Sive viri Juvenes, ſive γέροντες* erunt.

* *Apud Lacedæmonios, qui in magiſtratu erant*, γέροντες (ſenes) *& erant & appellabantur.*

38.
Neſcis, quid ſerus veſper vehat.

Cui bona ſors *flatu* ſpiravit manè ſecundô;
Hunc mala ſors *fletu* veſpere ſæpe rigat.

Sa-

39.
Sapientiæ ac virtutis copula.

Ingenium probitate carens eſt Dæmonis impar :
Ingenium juncta cum probitate DEUS.
Tu, DEUS ut fias, nec ſis Cacadæmonas inter,
Ingeniumque colas; *Ingenuumque* colas.

40.
Contra vim mortis &c.

Porrigat ægroto cunctas *Epidaurius* herbas;
Tandem obiens *herbam* porriget ipſe neci.

41.
Fructus Juriſprudentiæ & Hiſtoriæ.

Perpetuos celebris dat *Juſtinianus* honores :
Juſtinus famam perpetuare ſolet.

42.
De Philone Judæo, Philoſopho.

P*hiloſophi* aſcitum multi geſſére decorem :
P*hiloſophus* proprio eſt nomine P*hilo - Sophus.*

43.
In Immoratum.

Ruſticitas cunctis odio eſt : ſed moribus ultrò
Si ſtudeas *placidis*; tum *placitisque* ſtudes.

44.
Ad Grammaticos Germaniæ
De Definitione Nominis Subſtantivi.

Num *Subſtantivum* eſt, cuî non Germanica lingua
Mann/Weib/Ding! ſanâ jungere mente poteſt?
At *Subſtantivum Mas* eſt & *Fœmina* vobis :
His tamen adjungi Nomina dicta queunt.
Nam *Maribus* Weibding: *Matronis* jungere Man-ding
Poſſumus: En fallit Regula trita nimìs.

45.
Aniles Fabulæ.

Non tam multa nitet muliebri *fibula* veſte;
Fabula quàm creperô gutture multa fluit.

46.
C. Mutius Scævola dextram
velut alienato ab ſenſu animo torruit, Liv. D. 2. L. 2.

Cùm dextram ambuſſit ſuccenſû *Mutius* igne;
Tum ſpretô *mutus Mutius* igne fuit.

Ab-

47.
Abſurda.

Currere nè doceas *aſinum* *; mulgere nec *hircum*; †
Hic *olidus* nimis eſt: is *ſtolidusque* nimis.
* *Aſinum ſub freno currere doces*, *Eraſm. Ch.* 1. *Cent.* 4. *Ad.* 40.
† *Id. Ch.* 1. *Cent.* 3. *Ad.* 51.

48.
Aurum jus ſequitur.

Jura ſilent: ſolvit damnatque Pecunia multos:
Numus judicium, non *Nomos* ipſe, regit.

49.
Atticiſmus Iuvenis & Acciſmus Virginis.

Procus ſedebat bellula cum Virgine
Confabulante ſuaviter.
Is melleâ Nympham oſculum poſcit prece;
Hæc mente vult: geſtu negat.
Is blandus aptis *Atticiſmis* utitur,
Hæc ludit *Acciſmis* procum.

50.
Patiens *DEI clementia, & clemens Patientia.*

Quamvis lenta gradu proceſſerit ira DEORUM;
Compenſare tamen ſcit gravitate moram.
Peccantes primùm *manibus* non tractat acerbis;
Nî ſapiant: tradit *manibus* inde nigris.

51.
Proverbium German:

Wer Hängen ſoll / der erſäufft nicht.

Non perit hic *aqueô*, ſubmerſus in æquore, fluctu;
Qui ſiccam *laqueô* debet obire necem.

52.
DEO benedicente.

Quicquid agunt homines, nihil eſt, niſi proſperet Æther:
Neminis orſa valent: *Numinis* acta manent.

53.
Pecu: Pecunia.

Suppetit agricolæ collecta *Pecunia*; duplex
Dum ſtabulô anterior ſyllaba viva boat.

Au-

54.

Αὐτόχειρες *ſepulturâ legitimâ privandi.*

Qui negat imperium *Patris* expectare ſupremi :
Nec meret hic, Terræ *Matris* inire ſinum.

55.

Dum liber eſt novus, Scholaſticus eſt Studioſus.

Dum *novus* eſt codex ; dum nullus *nævus* in illo :
Tum *navus*, librô qui ſtudet eſſe ſolet.

56.

De Publio Cornelio Scipione Africano minore.

Scipio quem ſtupuit ſuccumbens Africa,caſtris
Scortorum pepulit millia bina ſuis.
Sic ergò, in *caſtris* quod ſit *caſtranda* libido,
Exemplô docuit *caſtra* vocata ſuô.

57.

Fures.

Furibus & *foribus* magna eſt cognatio vocis :
Pertentant *fures*, cùm potuere, *fores.*

58.

Educatio Iuventutis eſt fundamentum Reipublicæ.

Si malè formatur, fit *fœda calumnia*, pubes :
Si benè, fit Patriæ *fida columna* ſuæ.

59.

Sacrificia ingrata.

Fruſtrà farre Diis, pingui vel thure litatur :
Non hos *placat ador*, non *placet* ullus *odor.*

60.

DEUS Pauperum eſt Pater ; infirmorum Auxiliator.

Pauperibus timidiſque DEUS ſuccurrère novit :
Eſt in *egente* Parens : eſt in *agente* comes.

61.

In Fanniam, Virginem Palatitiam.

Fannia Natali Chriſti lætando canebat,
Eſt quondam nobis natus in Orbe puer.
Fannia, num prolem Mariâ hic intelligis ortam ?
An, quam fama loquax te peperiſſe, refert ?

62.

Neceſſitas & Voluptas.

Res binæ totâ moderantur munia vitâ :
Uſibus illa ſuis ; *luſibus* illa ſuis.

63.

De Luſu quem vulgò Verkehren *vocamus.*

Dum ludis nimiùm, *converſâ* ſorte, lapillis,
Perverſum inverſus te facit ille lapis.

64.

Longæ Regum manus.

Longimani * Artaxerxis erant Cognomina Regis?
At quivis *longas* Rex habet ecce manus.

* *Artaxerxes* Longimanus *dictus fuit, quòd manum alteram haberet longiorem.*

65.

Votum Pentecoſtale.

Spiritus in *duras gelidaſque* illabere mentes;
Et *rigida* emolli; *frigida* corda fove.

66.

In Pædotribam, qui puerum hallucinantem multis variiſque mendacibus verbis reprehendebat.

Arguis errantem verboſa voce juventam,
Et nævos multâ garrulitate premis.
Nè ſis multiloquus: STIFEL vocitabitur errans;
Sic hunc *ſextuplici* * criminis arte notas.

* *Du* STIFEL; *h. e. Du Schlingel, Tolpell, Igell, Flegell, Eſel, Limmel: ſi ſingulæ literæ voces ſingulas, à ſimili literâ incipientes, intiment.*

67.

In Vetulam mordacem & moroſam.

Margretræ *bini* modò *dentes* ore ſuperſunt:
Non tamen eſt mitis Margaris illa *bidens.*

68.

Propria laus ſordet.

Futilis es laudum tubicen præcoque tuarum;
Oreque magniloquô nil, niſi magna, crepas.
Deſine nugari; vanæ eſt jactantia linguæ
Nautea fœda bonis: *Nauſea* tetra bonis.

69.

Adhortatio Ludimagiſtri ad Diſcipulum.

Propoſitum diſcas, Puer. ſed in codice penſum:
Codice ſi diſces; *podice* ſoſpes eris.

70.

Conſero, evi; Conſero, ui.

Conſerimus manibus pacatô tempore campos:
Conſerimus pugnâ, ſunt ubi bella *manus.*

71.

Fames canina, & prandium caninum.

Quem premit eſuries maleſuada, fameſque *canina* ;*
Hunc recreare ſatis cœna *canina* † poteſt.

* *i. e. ingens & extrema, quam Græci βελιμίαν vocant.*

† *Prandium caninum eſt abſtemium, in quo nihil vini potatur, quoniam canis vinum non bibit, Gell. lib.* 13. *c.*29.

72.

Torſura capillorum profuit & obfuit.

Crinibus augeſcens detonſa eſt fœmina * Pœnis,
Ut conſervari fœmina tuta queat.
Delila Simſonis detondit iniqua capillos,
Perderet ut captum proditione Virum.

* *Pœni aliquando, cùm Spartum eos deficeret, ad funes tormentorum, detondere mulieres, & earum crinibus uti coacti ſunt.*

73.

Mors armatos ſpernit & ſternit.

Anne tibi plaudis, quod *duri Martis* es *Heros*?
Mox hæres *diræ Mortis* inermis eris.

74.

Injuria.

Qui facit injuſtum, deſcribit id *aëre* molli:
Qui patitur, duro ſcribit in *ære* diu.

75.

De Jobo.

Si te nuda premit duris in rebus egeſtas;
Nè tibi ſpes animô deficiente cadat.
Nam rurſum poſt *pauca* Tibi, poſt *dura* bonorum
Mollia Jova dabit; *millia* Jova dabit.

76.

Suſcipere infantem.

* *Suſcipit* infantem ſobolem *Pater* atque * *Patrinus*:
Hic ex baptiſmo *ſuſcipit*; † ille torô.

* *Suſcipere liberos vel ſobolem eſt procreare. Plaut. Qui geminos ex ancillâ ſuſcepit liberos.*

† *Suſcipere etiam dicitur is, qui de ſacro fonte infantem elevat. Hinc Voſſio præ* Patrini *vocabulo placent ſuſceptor & ſuſceptrix: de Vit. Serm. lib.* 3. *m. p.* 535.

Fuga

77.

Fuga Ammonis & Mammonis.

Ammon & *Mammon* Scripturæ fonte vetantur:
Chriſtus * ab hoc: illô *Jova* † cavere jubet.
* *Lucæ c.* 16. *v.* 14. † *Deut.* 23. *v.* 3.

78.

Facilis deſcenſus averni.

Eſt via, quâ petitur Styx atra, facillima planè:
Nam clauſis oculis itur ad antra Stygis.

79.

De Hercule.

Claviger Alcides ubi ſit, ſi quærere geſtis:
Is Cœli *potitur* ſede, Poëta monet.
Claviger Alcides ubi ſit, ſi quærere pergis;
Is Stygiâ *patitur* valle, Propheta docet.

80.

De Vino, quod Lacrymas Chriſti *vocant.*

In Sicula creſcit vinum generoſius ora,
Quod *Chriſti Lacrymas* dicere vulgus amat.
Hoc cum Teuto merum primùm cupidô ore bibiſſet,
Nomina tàm dulcis quæſiit ipſe meri.
Audiit hanc *Lacrymas Chriſti* ſignarier uvam:
Tum vir ſuſpirans talia verba dedit:
O bone Chriſte, tibi dulcis quia lacryma fluxit,
Cur noſtra in Patriâ non lacrymatus eras?

81.

De Anaxagora ex lib. 4. *Acad. Quæſt.*

Qui piceas ait eſſe nives, candore negatô,
Hunccine *Philoſophum*; *Philaſophumne* putas?

82.

De Proverbio Anglorum.

In Engeland haben die Frawen den Himmel; die Lackeyen daß Fegfeuer:, vnd die Pferde die Helle.

Fœmina habet cœlos; & purgatoria *Curſor*:
Ipſaque habet Britonis Tartara fortis *Equus*.

83.

Ad Phyſicos.

Mutari minimè cùm *naturalia* poſſint,
Quod vulgo Phyſicos Regula nota monet:
Cur adeò *mutant*, qui *naturalia* tradunt
Dogmata? vix poſſis conciliare duos.
In veſtris *Naturâ* libris *mutabilis* errat:
Et phyſis, ut Lunæ mutat in Orbe phaſis.

84.

Gott legt unß eine Laſt auff: Aber Er hilfft uns auch.

Nos DEUS iratus pœnarum *molibus* urget:
Nos rurſum auxiliis mollibus ipſe levat.

85.

Polygamia Hirci & Canis Fœminæ.

Hircus multarum uxorum ſolet eſſe *maritus*:
Uxor multorum fit *canis* ipſa virûm.

86.

Ad cantionum Venerearum ſcriptorem.

Deſine laſcivis effingere vocibus odas,
Mollibus innexas verſibus atque ſtrophis.
Iſta decet turpes Epicuri muſica *porcos*:
Nam lego tot *Scrophas*, quot lego fortè *ſtrophas*.

87.

Conferre capita, manus, pedes.

Conſultando caput noſtrum conferre ſolemus:
Depugnando manus; *congrediendo* pedes.

88.

De Paradiſo.

Integritas quondam Paradiſi effloruit horto:
Ex illo quondam prodiit omne *Nefas*.
Ipſe bonum Summum tenuit, Summumque malorum:
Ante Boni *Hortus* erat: deinde Mali *Ortus* erat.

89.

Ad Zoilum.

Zoile quid *ructas*? tetrô quid *ringeris* ore?
Rictus & *ructus* non ego curo tuos.

90.

Sacerdotum & Medicorum Opera.

Paſtillos Medicus; *Poſtillas* Myſta parabit:
His *animæ*; atque illis *corpora* noſtra vigent.

Simia.

91.
Simia.

Humanos ſolers imitatur Simia mores:
Noſtraque tam dôcilis beſtia facta refert.
Quin etiam docta eſt ipſi cenſura palati:
Sic *guſtu* & *geſtu* Simia nota valet.

92.
Amicorum Inconſtantia.

Hui! Hui! fortunâ ridente, applaudit amicus:
Phuy! Phuy! fortunâ ſed ſtomachante ſpuit.

93.
Phyllis à Venere, & Cupidine victa.

Phyllida cum Puero Venus improba nuper adorti:
Attulit is pharetras; ſed tulit ipſa faces.
His devicta fuit Phyllis: nam Matris ab igne
Arſit; ſed telis Filius *urſit* eam.

94.
Chriſtus animarum Sponſus.
Ad Virgines.

Deſipiens Juvenem Neobule adamaverat *Hebrum*: *
Hebræum Puerum dilige, virgo; ſapis.
* *Horat. lib.* 3. *Od.* 12.

95.
In Πολύτροπον.

Temporibus ſervire potes; ſervire *locisque*:
Oris ac *horis* omnibus aptus homo es.

96.
Ad Ambitioſum.

Te trahit immenſus titulorum & nominis ardor:
Herculeus dici; *Regius* eſſe cupis.
Crede mihi, quædam fugio, quæ fortia priſci
Herculis, aut *Regis* nomina celſa gerunt.
Si tibi cuncta libent; per me tuus *icterus* eſto:
Regius eſt etenim morbus, & *Herculeus*.

97.
De Æſopo & Plauto.

Novimus *Æſopi* fictos *Plautique* lepores:
Nempe is fabellas *dixit*: hic *egit* eas.

98.

Comparativum præcedit Poſitivus.

Ad quendam Genealogiæ Oſtentatorem:

Stulte, tuos fruſtrà *Majores* ordine narras;
Cùm nemo *magnus* vixerit inter eos.

99.

In quendam corpore habiliſſimum *animô* hebetiſſimum.

Pulchrior eſt animus reſidens in corpore pulchro:
Sed differt Animô corporis arca tuo.
Corpore nam ſcimus, quod ſit *habiliſſimus* omni;
Sic extructa nitet pulchra ſubinde domus.
Scimus at ingeniô quòd ſit *hebetiſſimus* ipſo;
Incola ſic pulchro ſub Lare ſtultus habet.

100.

Voces quorundam Animalium, imitatione technicâ quâ quali, expreſſa.

1.

Alauda cantum exprimit Diſtichon Friderici Taubmanni in Alauda Candida h. m.

Ecce ſuum *tireli, tireli, tiritirlire*, tractim
Candida per vernum ludit *Alauda* polum.
Idem præſtant Verſus Gnilielmi Saluſt. Hebdom. lib. 5.
Ipſa ſuum *tireli, tireli, tire, tirlire*, tractim
Ingeminans, ſecat aſtra levis; dein tramite verſô,
Ima petens *di, di, dii*, inquit *Alauda*, valete.
Uterque ſonus ſequenti comprehenditur Diſtichô:
Aſcendens *tireli, tiritirlire*, cantat *Alauda*:
Deſcendens *Dî, Dî, Dî* valeatis, ait.

2.

Gallus.

Ecce ſuum *kikriky, kikriky* ſub culmine cantat,
Cùm monet inſtantem *Gallus* adeſſe diem.

3.

Gallina.

Ecce ſuum *cacaney, cacaney Gallinula* clamat,
Cùm parta in nido deſerit ova ſuo.

Co-

4.

Coturnix.

Ecce ſuum *bikebik, bikebik* laſciva *Coturnix*
Cantitat, & ſegetes arvaque culta colit.

5.

Vanellus ſeu Pavo agreſtis.

Ecce ſuum *gyvitt, gyfits* * *Vanellus* in agris
Inſonat, atque alis findit inane ſuis.

* *Germanis ab imitatione Voris* Gyfitz/ gyfitt & gybitz *dicitur. Geſn.*

6.

Corvus.

Ecce ſuum *crâs, crâs, Corvus* crocitando frequentat:
Cras cras ſe nigrum non fore, ſemper ait.

7.

Cornix.

Ecce ſuum *cra cra* Cornix è gutture ructat,
In ſicco ſecum cùm ſpatiatur agro. *

* *Virg. Georg. v.* 338. 339.
Cum cornix plenâ pluviam vocat improba voce,
Et ſola in ſiccâ ſecum ſpatiatur arena.

8.

Ciconia.

Ecce ſuum crepitat ſibi, *glotero, glotero*, plauſum,
Qui nidum celſâ turre *Pelargus* habet.

9.

Anſer.

Ecce ſuum garrit ſibi, *gratito, gratito* ſtridens
Anſer, & haut unquam lingua canora tacet.

10.

Cuculus.

Ecce ſuum *cucu, cucu* ſtrepit ore moleſtus
Coccyx, obtuſô per nemus omne ſonô.

11.

Monedula.

Ecce ſuum *gigack, gigack* clamoſiùs urget,
Cum *Graculus* pluvias nunciat autor aquas.

12.

Picus.

Ecce ſuum *wiff, wiff, wiff, wiff* clamore ſonorô,
In ſylvis iterat Martia *Picus* avis.

13.

Anas parva, cui nomen Querquedula.

Ecce ſuum *querquer, querquer Querquedula* * clamat,
Piſcoris anates cùm natat inter aquis.

* *Querquedula per Onomotopoliam dicta videtur, Conr. Gem: Hiſt. Anim.*

14.

Paſſer.

Ecce ſuum *pipipi, pipipi* ſibi pipilat uſque
Paſſer, & argutô tecta ſonore replet.

15.

Bubo.

Ecce ſuum *puhú* ferali carmine *Bubo* *
Bubulat,& nobis triſtia fata refert.

* *Bubo à bovis mugitu dictus, Theſ. Fabr. in Bubo.*

16.

Upupa.

Ecce ſuum ποῦ, ποῦ, ποῦ, ποῦ * clamore frequenti,
Cuî ſtat criſta ſuô vertice, cantat *Epops.*

* *Pandion in Upupam converſus & quaſi adhuc Filium interfectum Ityn quæritans, clamat* ποῦ, ποῦ, *quod ſignificat*, ubi, ubi, *Cal. in Progn.*

17.

Cycnus.

Dicitur, at nondum carmen cantâſſe probatur
Cantator *Cycnus* funeris ipſe ſui.

18.

Equus.

Ecce ſuum reſonans *hihihi* fervoribus actus
Fortis *Equus* viſæ ſemper adhinnit equæ.

19.

Vacca.

Ecce ſuum *mu, mu, mu mu* * per paſcua prati
Admugit torvo *Vacca* proterva bovi.

* *Stat pecus omne metu mutum muſſantque juvencæ, Æn: 12. v. 717.*

Felis.

20.
Felis.

Ecce ſuum lugubre *miaū, maū* flebile Felis
Ingeminat, quoties limine ſola ſedet.

21.
Canis.

Ecce ſuum *bau, bau, bau bau*, latratibus edit
Fida *Canis*, vigiles dum cubat ante fores.

22.
Ovis.

Ecce ſuum βῆ βῆ * ſonat & balatibus implet
Aëra, quæ tondet fertile gramen *Ovis.*

* *Euſtathius in Homer.* β μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς: *& alio loco* βῆ βῆ προβάτων σημαντικόν; *citatque hunc Cratini verſum ex Ælio Dionyſio:* ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει, *h. e. fatuus autem, tanquam Ovis bee, bee ſonans, incedit.*

23.
Rana.

Ecce ſuum *brekekex, brekekex* & grande *coaxquax*
Increpitat raucô garrula Rana ſonô:

FRIDERICI HOFFMANNI
Sileſii

Gymn. Elbing. Con-Rectoris

POETICUM
CUM MUSIS COMMERCIUM:

Sive

EPIGRAMMA-
TUM SERIORUM
SERIES.

SERIA

Honoris, *Amoris*, *Doloris*

OFFICIA,

Maximam partem Epigrammatica,

Sine Perſonarum & Dignitatis Reſpectu

congeſta;

Ex ſolo Annorum ſuccedentium
inſpectu digeſta,

DN. DN. DN.

PATRONIS, FAUTORIBUS,
AMICIS,

Quibus ſingula Singulis
antehac *ſcripta* ſunt;
nunc univerſa Univerſis

In SERIA hac SERIE
inſcribit

AUTOR.

Epigrammatum Seriorum
SERIES.

Connexio
Colludii & Commercii Poëtici.

NOn ſemper *Cœlum* vultu ridente niteſcit;
Sed decus interdum nube nigrante tegit.
Nec *Tellus* ſemper creſcenti *germinat* herbâ:
Sed quandoque gelu mortua *Terra* jacet.
Ludicra non ſemper; nec ſemper *Seria* tracto:
* *Seria Ludicris* niſta fuêre ſuis.
Sic imitor *Cœlum*; Cœlô mihi vena rigatur:
Sic imitor *Terram:* Terra terenda mihi.

DE ORDINE
In Epigrammatis Seriis Obſervato.

Non per *Centurias* Epigrammata Seria prodo:
Noſtra caret *Numeri* Seria Muſa notis.
Nec decet in *numerum*, ſeriémque referre PATRONOS,
Perfectos *numeris* quos reor eſſe ſuis.

Quare Carmina non-Epigrammatica hîc inſerta ſint.

Sum tibi pollicitus noſtros Epigrammate verſus;
Sed tamen hîc aliquod non-Epigramma leges.
Non ſemper ferit hoc, arcus quodcunque minatur:
Sæpe *Epigramma* volo; ſed *Paragramma* * cadit.
* Paragramma *eſt, quod adſcribitur ultra ſolitum & juſtum.*

Cauſa diverſitatis in ſtylo.

Pluribus effingo textatum carmen ab annis;
Nec nitet æquali verſus ubique ſtylô.
Scripſi olim *gracili*; *facili* nunc ſcribo Camœnâ:
Vim dedit ipſe *Dies*: vim dedit ipſe *Deus*.

TRIPLEX SALUS
Strenæ locô oblata
Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo VIRO
DN. MICHAELI SIEFERTO,
Reip. Elbing. Patriæ Conſuli meritiſſimo.
Anno 1646. *Calend. Jan.*

Apprecor *internam, externam, æternámque* SALUTEM,
Quâ trinâ potior nulla *Salute Salus*.
Hanc ſi poſſideas, niveum ſine crimine PECTUS,
Et vacuum morbis mobile *Corpus* erit.
Millenis cumulabit *Opes* Fortuna medimnis:
Prata ferent pingui *germina* ſueta ſinu.
Farra dabit campus: certo quin tramite ſummum
Hæres ingrederis, cœlica regna, *Polum*:
Non igitur ternas; cunctos precor ipſe SALUTES:
Pectus, Corpus, Opes, Germina, Farra, Polum.

In Nuptias
Nobiliſſimi ac Conſultiſſimi VIRI,
DN. JOHANNIS WERNIGK,
Alſlevo-Saxon. JCTI.

Cum lectiſſima Virgine CORDULA, Nobiliſſimi, Spectatiſſimique Viri, *Dn. Antonii Smythii*, Britanni, relicta Filia An. 1648. Jan. 7.

ΓΛΥΚΥ ΓΑΜΙΚΟΝ.

Dulcia ſunt Chii, quæ guſtas, *Vina* Lyæi;
Dulces, quas pulſat Dædala dextra *Lyras*.

Dulces, Eoö quas eruis æquore *Gemmas*;
Dulcia Mella; vigil quæ ſibi ſtipat apis.
Dulcia, quæ ciſtis pretioſa *Metalla* reponis;
Dulcéque Cecropium noveris eſſe *Thymum*.
Dulcior his THALAMUS: Thalamus dulcedine vincit
Vina, Lyras, Gemmas, Mella, Metalla, Thymum.

Ad Nobiliſſimum, Doctiſſimumque

DN. FRANCISCUM SIEFERTUM, Patricium Elbingenſem,

De Fine & Deſtinato publicè diſputantem.
An. 1650. *Octobr.* 5.

Non ſine *fine* puto fieri, de *Fine* quòd aptô
Ordine concinnas, doctè SIFERTE, Theſes.
Nempe tui *finem* ſtatuis, metámque laboris,
Expertem *finis* principiique DEUM.
Hic ſi *finis* erit, bonus eſt Tibi finis, at iſte
Si non eſt, *finis* nec bonus ullus erit.

DE SALMONE BREMENSI

Squamigeros inter, queîs affluit unda Viſurgis,
Salmo tenet primas, inclyta Brema, greges.
Vidi ego ter cunctis pingui Salmone diebus
Maxima Piſcantûm retia tracta manu.
Hîc prædæ partem coquit ardens Mulciber igni;
Et fumô partem præparat ille faber
Sicca pecus ſaturat menſis regalibus aulas;
Et ſaturat vulgi prandia ſicca pecus.
Siccati quoties *Salmonis* fruſta comedi;
Imbuit & mentum defluus ore liquor.
Sæpe tibi, *Salmo*, carmen meditata fuiſſet
In laudes ultrò prodiga Muſa tuas.
Sed non auſa fuit, quoniam vix ipſemet aptô
Salmo tuas laudes carmine, *Salmo*, canat.

Elo-

Elogium

Academiæ Juliæ.

Cùm Anno M. DC. LI. in Academia Julia, quæ Helmſtadii eſt, inter Cives Academicos agerem; in laudem Academiæ Tononymus evulgavi tale Diſtichon:

„Julius ut *Cæſar* câput inter Καίσαρας effert:
„Sic inter *claras* Julia *clara* Scholas.

Cujus Autorem cùm Amicorum & Commilitonum alii alium conjectandô nominarent; factum eſt eâ occaſione, ut in mentem mihi veniret lepidiſſimæ illius Hiſtoriæ, quam de *Virgilio* & Bathyllo Ælius (ſive, ut Voſſius cenſet, Tiberius) Donatus in Vita Virgilii commemorat. Itaque induxi in animum jocô cum amicis exercere ingenium. Aliquamdiu igitur meditatus, & Maronem imitatus, protuli ſequentem Hexametrum integrum, cum principiô Pentametri Pronominali, ſexies repetitô, in hunc modum:

Hos ego verſiculos feci; capit alter honorem:

Tu Tibi Te
Tu Tibi Te
Tu Tibi Te
Tu Tibi Te
Tu Tibi Te
Tu Tibi Te

Complementum Pentametri hujus incompleti hoc eſt:

Tu, Tibi Te non hîc ædificâſſe, ſcias.
Tu, Tibi Te non hîc nidificâſſe, ſcias.
Tu, Tibi Te non hîc mellificâſſe, ſcias.
Tu, Tibi Te non hîc fœtificâſſe, ſcias.
Tu, Tibi Te non hîc ſacrificâſſe, ſcias.
Tu, Tibi Te non hîc verſificâſſe, ſcias.

VIRE

VIRO

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo, Clariſſ.

DN. JOHANNI à FELDEN,

J. U. D. & *Mathem. in illuſtri Julia Profeſſ. Publ. celeberrimo.*

Helmſtadii ſacris operor nunc Pallados: illîc
  Percolo, quos clarat clara Minerva, Viros.
Audio, qui cupidô Sophiæ cônclavia pandunt:
  Pendeo præcipuè totus ab ore Tuo.
Non modò tu *monſtras* Sophiæ penitralia Divæ;
  Sed quoque *demonſtras*; quod caput artis erat.
Haud *ratione* caret, quicquid profiteberis Artis;
  Percipit hoc etiam, qui *ratione* caret.
Pro lubitu *dubiis* alii paſcantur in agris:
  Germinat è *Campis* vis mihi *certa* Tuis.

Ad VIRUM

Nobil. Excellentiſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. HERMANNUM CONRINGIUM,

Philoſ. & Medic. Doct & in inclyta Academia Julia Profeſſ. Publ. longè celeberrimum, Illuſtriſſimi Comitis Oſtfriſiæ Conſiliarium intimum & Archiatrum, &c.

Theîologûm calles ſecreta; volumina legum:
  Excellis Medica Doctor in arte gravis.
Qua ratione diu felix Reſpublica perſtet,
  Et profitendo ſatîs, conſiliiſque doces.
Si quæ præterea doctrinæ puncta ſuperſunt,
  Philoſophûm clarus nobilitate tenes.
Forſitan hinc CONRING, quaſi VIR ἐγκύκλιος,
    audis:
Encyclopædiam pectore ſolus habes.

De Excellentiſſimo, Clariſſimo, VIRO

DN. M. CHRISTOPHORO SCHRADERO,

In Academia Julia Eloq. Prof. Publ. celeberrimo; cùm explicationem Rhetoricorum Ariſtotelis publicè abſolviſſet.

Inchöat haut rarò molimina docta Profeſſor;
  Sed, bene quod cœpit, non bene finit opus.
Cœpit *Ariſtotelis* SCHRADERUS Rhetoris artem;
  Et finit: ſic eſt ipſus *Ariſtoteles.* *

* *i. e. optimè finiens.*

Ad Virum Excellent. & Clariſſimum

DN. JOHANNEM EICHELIUM,

Philoſ. Moral. in Illuſtri Julia Prof. Publ. Ordinarium; Cùm Collegia in Ethic. Ariſt. ad Nicom. & ſuper libr. 8. Polit. Ejuſdem privatis prælectionibus abſolviſſet.

Non eſt *Eichelius* ſterilis ſine fructibus arbor:
  Fructifer ipſe Vir eſt; *Glandifer* ipſe Vir eſt.
Hinc, Studioſe, Tibi *morales* carpere *glandes*;
  Carpere *Civiles* hinc, Studioſe, potes.*
Ipſe ego bis tales decerpſi pollice *glandes*;
  Nec *glans* una mihi *caſſa* * reperta fuit.
Querna Jovi † quondam ſacrata effloruit arbos:
  Majori *Eichelius* ſed ſacer eſto DEO.

* *Plaut. in Rudent.*
† *Myth. Com. l. 2. c. 1. in fine.*

In Vindemiam Mellis,

Quam Nobiliſſimus & Ampliſſimus

DN. GEORGIUS LARDINUS,

Civit. Elbing. Coſ. & h. t. Territorii Judex in pago Schön Mohr *Autumnô celebrabat. An.* 1653.

De

I.

De Compoſitione Nominis Schön-Mohr.

Non ſatìs eſt certum, quid ſit vox altera Pagi:
  Certum eſt à *Pulchro* Nomen habere prius.

II.

De Copia Mellis.

Attica mel fragrans quondam collegit Hymettô;
  Mel fragans hodie Pruſſia Terra legit.
Melle nemus pagúſque fluunt: concedite Graji;
  Non Vos; aſt hodie Druſis Hymetton habet.

Elogium Funerale

Strenuiſſimo TROMPIO *& Clariſſimo* SALMASIO *ſcriptum. An.* 1653.

Hactenus armatô concurrens Hoſte *Batavus*
  Proſper erat, *geminô* bella gerente *Duce.*
Marte dedit Arages alter; dedit *Arte* ſed alter:
  Ille fuit *pilô* victor; at *iſte* ſtylô.
Iſte nocens *pennâ*; *pinnis* fuit Ille cruentis:
  Iſte tulit *Verbis*; *Verbere* at alter opem.
Iſte fuit *ſcriptis*; *factis* fuit Ille ſed Heros:
  Iſte fuit *Neſtor*; *Hector* at Ille fuit.
TROMPIUS alter erat, fuerat SALMASIUS alter:
  Dic, magìs Hic hoſtes ſtravit, an Iſte magìs?
Nunc jacet, & fatô Dux merſus uterque recumbit:
  Qui pòſt bella gerent, maſcule Belga, Duces?

Ad Amicum,

Me ſepties *felicem prædicantem, cùm paroxyſmus febrilis* bis *me deſtituiſſet.*

Bis febris abſceſſit: me *térque quatérque* beatum
  Prædicat, & medicam laudat Amicus opem.
Res nondum ſalva eſt: cùm *térque quatérque* receſſit
  Febris, me fauſtum *térque quatérque* canas.

Taces

Faces Nuptiales Epigrammaticæ, Spectabili ac Doctiſſimo

DN. HENRICO KRETSCHMERO

LL. Candidato & REGINÆ ENGELKIN, *Viduæ Funccianæ, propitiô Phœbô accenſæ An. 1654. Septemb. 15.*

I.

Dux & Autor amantibus opus eſt.

Hactenus exſtinctæ tædæ jacuére jugales;
Nec ſenſit licitas Druſis amica faces.
Nempe timor miſeros torſit maleſuadus amantes:
Nec procus eſt juſtos auſus inire toros.
Dux nobis opus eſt: opus eſt & prævius Autor,
Ut ſubeat thalami multus amator onus.
I præ, Sponſe, viam: Te turba ſequetur amantûm:
Seriùs aut citiùs Sors ſua quemque vocat.

II.

Funccia Scintillans.

Bruma venit; longas pallens fert Delia nates;
Terra diu tenebris ſtabit operta ſuis.
Lux tamen interea ſurget Tibi candida tectis:
Nigrabit nitidos nox Tibi nulla Lares.
Scilicet accendet *ſcintillans Funccia* tædas,
Fulgentémque dabit *lucida Sponſa* Pharum.

III.

Scintilla Amoris.

Tota brevi algebit Boreali frigore tellus,
Et ſtringet rigidô carcere cuncta gelu.
Haud Tibi torpebunt præcordia, *Sponſe*, pruinis;
Nulla tuum glacies lædet, & aura, latus.
Jugiter ignitas *ſcintillans Funccia* flammas
Excitat: hôc felix igne calere potes.

In

In Nuptias
Spectabilis & Doctiſſimi
DN. CHRISTIANI KNICHEN,
cum Virgine lectiſſima, SABINA BARNERIA *celebratas An.* 1654. *Sept.* 22.

I.

Elbinga Pronuba.

Unam è bis Septem * præſtanti corpore Nymphis
 Obtulit Æolico pronuba Juno Patri.
Unam de centum praſtanti pectore Nymphis
 Adjungit thalamo Druſis amœna tuo.
Suſcipe, Sponſe, datam: ſit charior illa Marito,
 Quàm fuit Æolico Deiopeja viro!

* *Virgil.* 1. *Æn.*

II.

Sponſa Suaviſſima.

India mittit ebur, molles ſua thura *Sabæi*,
 Pontus caſtoreum, Tmolia terra crocum.
Non *Saba* turiferis mittet tam dulcia campis,
 Dulcia quàm tulerit dona *Sabina* Tibi.

III.

Votum Alluſivum
ad utrumque Sponſi Nomen.

Vive diu *Chriſto*: *Chriſto Chriſtjane* ſereſcas:
 Et ſerò ætatis veſpere *genua* labent.

In Funere
Plur. Reverendi, Doctiſſimi, Clariſſimi VIRI,
DN. M. BALTHASARIS VOIDII,
Miniſterii Elbing. Eccleſiaſtici Senioris, Poëtæ Laureat. Cæſar, &c. An. 1654. *Nov.* 28.

Non infacetæ conderem metron Muſæ
Voidiani marmori nigro cippi;

Si

Si priſca tanti Spiritum redux Vatis
Noſtro meſem pſychoſis inderet cordi.
Sed quid Camœnis indiget vehi noſtris,
Quem clarat Orbe cuncta turba Virtutum?
Pietas dicatum Numini ſacro pectus:
Sophia entheatarum artium caput dives:
Clio faventis Delii nitens carmen:
Pitho loquelæ ſplendidas opes effert.
Hæc ſumma laus! Non pulchrius decus ſurget,
Quàm ſi vocetur laude poſteris dignâ
Vates, Magiſter, Myſta ſanctus, Orator.

VOIDIUS, alter OVIDIUS.

Literulis *OVIDI* ceu conſonat atque *VOIDI*
Nomen; ſic rebus cernis utrumque parem.
Gratus uterque fuit Phœbo: dûbiteſque *VOIDI*
Aut *OVIDI* potiùs carmen Apollo probet?

In Annum Ætatis LXIII. Climactericum.

Vita hominum *Scala*; *gradibus* ſed convenit annus:
Septimus hic annus triſtia quæque creat.
Bis quater ergò gradum *ſeptenum* tranſiit olim;
Non potuit *nonum* nunc ſuperare gradum.
Quàm multis fuit ille nocens & lethifer annus?
Climacis hinc *magna* nomina jure tenet.

Dignitatem Præ-Conſularem
Magnifico, Nobiliſ. Ampliſ. Conſult.
DN. MICHAELI HELWING,

Perpetuam & felicem gratulatur F. H.
An. 1654. Mart. 2.

Vivida ſe reparat *Phœnix* & ſeminat ales,
Tranſmittitque ſuum ſecula longa genus.
HELWINGI Nomen compar Phœnicibus exit:
Phœnicúmque refert inclyta facta genus.
Teſtis læta dies, quâ Te, ſat Conſule functum,
Inter Semideos collocat Ordo Patres.
Nonne celebrati ſplendor revireſcit Avorum
Nominis, & florens fama renata viget?

Sic

Sic igitur veſtrum Genus immortale reſurgit;
Et *Phœnix* noſtræ Druſidos eſſe potes.

Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo, VIRO
DN. MICHAELI-HELWINGIO.
Præ. Conſ. graviſſimo, mortem Filioli natu minimi
ERNESTI lugenti.

Magne Pater! Patriô ſolidum Tibi pectore vulnus
Non fuit, hoc vulnus dum DEUS ipſe novat.
Non memori fugit natu Tibi *Maximus Hæres*
Pectore, dum *Minimus* per ſua fata fugit.
Non eluxiſti *Franciſci* funera; jamque
Incipis *Erneſti* fata dolere Tui.
E Sexta Puero, finitô Examine, claſſe
In Quinta dederat ſedula cura locum:
Sed facit auſpiciis ſaltum felicibus Orbe,
Et ſubit ætheriæ ſcamna beata ſcholæ.
Nunc Vobis placeat, ſummis quod complacet Aſtris:
Maximus & *Minimus* ſidere Natus ovant.
Sed neque quis feros ſperet temerarius annos;
Maxima mors raptat: mors *Minimumque* rapit.

Splendori

Illuſtriſſimi Sueciæ Sideris Domini, Domini
ERICI OXENSTIERNII,
Cancellarii Regni, Faculam Epigrammaticam
adlucet Thalia devotiſſima.

I.

Hactenus ætheriis *Taurus* micat arduus Aſtris,
Et vibrat rutilas ſtella coruſca faces.
Obvia nunc Terris *Tauri* propè Sidera fulgent.
Fallor, an è Cœlo ſidera mota migrant?

II.

Eſt Veſtrum cœleſte Genus: Sed diſtat in uno
Sidereis Cœli Veſtra Propago choris.
Juncta ſtat informis *Taurinis* ſtellula ſtellis:
Non trahit informem Gloria Veſtra facem.

III.

Diverſæ radiant *Taurino* lampades Aſtrô :
Maximus hîc : iſtîc ſed minor ignis ineſt.
Siccine Cœligenis terreſtria Sidera præſtant ?
Cùm niteant parili Nomina Veſtra gradu.

IV.

Cùm ſubit ignitum *Tauri* Sol aureus Aſtrum;
Tum magis accenſo Cynthius igne ealet.
Cur Comes Arctöo Sors eſt tam ſplendida Phœbo ?
Rex bene conſiliis gaudet ubique Tuis.

Viro pl. Rever. & Clariſſ.

DN. CHRISTOPH. FEIERABENDIO,

Oratori Sacro fœcundè facundo.

Quæris, quid cupiam, quoties Sacra verba profaris;
Et pro ſuggeſtu Myſta diſertus ades?
Opto, die totô vox interrupta ſonaret;
Et redeat *Feriis-Veſpera* nulla ſacris.

In Nuptias

Reverendi ac Doctiſſimi VIRI

DN. SAMUELIS CORELLII,

cum caſtiſſima Virgine

ELISABETA PREUSSIA,

Celebratas. An. 1656. d. 19. Julii. Ad Reverendum DN. Sponſum de Sponſa.

Pruſſia Te genuit: Te *Pruſſia* Patria nutrit:
In *Pruſſo-marito* munia ſacra dedit.

Aſt

Aſt hodie ſocio cedit Tibi Preuſſia lecto :
Pruſſia ſola igitur : *Preuſſia* ſola placet.

Ad Caſtiſſimam Sponſam
de Dn. Sponſo.

Hactenus ad gelidæ collegit littora Balthes
Pruſſia pulvereô ſuccina ſparſa ſolô.
Sed nunc plura parit : nunc grata *Coralia* donat :
Coralium divum Sponſa pudica capit.

In Nuptias

Nobilis ac ſtrenui

DN. FRANCISCI BIRCKMANNI
cum Anna *Oelrichia* p. m. *Iohannis Langii*
relicta Vidua. An. 1656. *Aug.* 8.

DENIQUE UXOR.

Inſpice fluctivagæ paſſim molimina mentis :
Tendimus in varias quisque ſubinde vias.
Poſt varios caſus, poſt mille pericula rerum,
Quod rerum ſummum eſt omnibus, *Uxor erit.*
Eſt, qui pervigiles ſudat ſub Apolline noctes :
Quid ſtudio exactô poſtulat ? *Uxor erit.*
Sanguineis alius Bellonæ fulminat armis :
Marte quid expulſô flagitat ? *Uxor erit.*
Sic alius terras, peregrínaque littora calcat :
Aſt iter emenſus quid cupit ? *Uxor erit.*
Te BIRCKMANNE voco ; quem non fugit invida Pallas.
Quem Mavors turmis vidit ineſſe ſuis :
Diſſita quem tenuit Boreali ſidere tellus,
Et procul Arctoo natio clara ſolô :
Ecquid agis tandem poſt tot conamina rerum ?
Scilicet *Uxorem* Tu quoque Sponſe, *petis.*
J pete, quam meruit virtus ſpectata, Maritam :
Quam petis, in thalamo floreat illa tuo !

Jocus Nuptialis.

Betula BIRCKMANNO tribuit ſua nomina Sponſo;
 Betula ſed placidô ſit procul ipſa torô.
Si ſtudeas placuiſſe toro, nil *Betula* proſit:
 Sit præſens aliô germine *Virga* Tibi.

In Obitum
Plur. Reverendi ac Doct.
DN. DAVIDIS HOLSTII,
Eccleſiaſtæ Elbingenſis. An. 1656. Sept. 8.

Mors communis

PASTORI & OVIBUS.

Dum nova peſtiferos ſpargit contagio morbos,
 Innocuóſque necat per Fora, Templa, Viros:
Occidit excedens Sacræ penitralibus ædis
 HOLSTIUS, accurans Paſtor ovile DEI.
Ecquid *ovis* ſperet, pereat cùm funere *Paſtor?*
 Num ſibi fata magis mitia ſpondet Ovis?

In Obitum
Honeſtiſſimæ Fœminæ,
ANNÆ FOSTERIN,
Spectabilis ac Conſultiſſimi

DN. CONRADI VOIDII,

Conjugis.

Diſcidium Conjugale graviſſimum.

Eſt gravis ille dolor, quoties mors improba MATREM
 Quæ nos geſtavit corpore fœta, rapit.
Eſt gravis ille dolor, quando mors invida PATREM,
 A quo vitalis profluit aura, ruit.
Eſt gravis ille dolor, quoties mors lurida *Gnatum*,
 Qui fuerat vitæ ſpes columénque necat.
Eſt gravis ille dolor, quoties mors tetrica *Fratrem*,
 Qui fuerat cordis portio magna, terit.

Eſt gravis ille dolor, quoties mors ſæva *Sororem*,
 Quæ fuerat vitæ lux oculúſque, premit.
Conjugis è fato gravior, quàm funere merſis
 Matre, Patre, & *Gnatô, Fratre, Sorore,* venit.

SYZYGIA
DOCTRINÆ ET VITÆ
Præcipuorum Theologi Ornamentorum,
Quibus Vir Plur. Reverendus ac Doctiſſ.
DN. JOHANNES PHILIPPI,
Beatè defunctus emicuit. An. 1656. *Octob.* 29.

Ut ſtatibus variis hæc lubrica clauditur ætas:
 Sic hominum eſt unô meta nec una ſtatu.
His *dixiſſe* ſat eſt: alii *feciſſe* requirunt:
 Nomina vult alius; *facta* ſed alter amat.
Tecta tenent privata Viros, queîs nota regundi
 Cauſa domus; pejùs ſed reget ille domum.
Curia ſæpe Patres; Vitricos & curia perfert,
 Qui jus præcipiunt; nec tamen æqua patrant.
Sæpe ſcholas intrat, Phœbô qui turgidus amplô
 Magna crepat: Phœbô digna nec ille facit.
Non-geniti ſe præco DEI gerat ore miniſtrum:
 Vitâ *bis-genito* ſerviet ipſe DEO.
Non erat ex illa *Paſtor Philippus* arenâ:
 Pectore de nitida ficta gerebat humo.
Tum docuiſſe greges fuit anxia cura fideles:
 Tum, quæ docta, bonis acta referre modis.
Cœlica perdocuit; factis cœleſtia geſſit:
 Vitaque doctrinæ conſona tota fuit.
Quare Theologus fuerit laudabilis ille:
 Qui facienda docet: quique docenda facit.

Ad perquam Rever. Clariſs. Doctiſſ.

DN. M. HENRICUM NICOLAI,

Profeſſorem Emeritum,

Sponſum,

cum Virgine pudica, Catharina Coyen. *An.* 1656. *Oct.* 30.

Ergò tuô monſtras, *venerande Magiſter*, amore,
Vita quòd exſtinctô triſtis amore fluat?
Conſpicuas Clariis tractes ſplendoribus artes,
Et foveas Sophiæ nobilioris opes.
Pectus amore flagret ſenſus penitrare latentes:
Philoſophûm radios Theiologumque decus.
Non tamen hinc omni fueris ex parte beatus:
Deêrit adhuc magnus proſperitatis apex.
Eſurias? nullam Sapientia percoquet offam:
Si ſitias: Sophie pocula nulla rigat.
Si friges; nullos incendit Apollo caminos:
Si ſopor obrepit; non Cato ſtrata parat.
Uxor amata *dapes*; fert uxor amata *Lyæum*:
Uxor amata *focos* inſtruit; illa *torum*.
Socrate quis potior? non vitâ cælibe gaudet:
Xantippen vacuô poſcit adeſſe torô.
Anne *Plato* poteras ſolô requieſcere lectô?
Venit in amplexus *Archianaſſa* tuos.
Arſit *Ariſtoteles* trutinans ſua pondera rerum:
Herpyllis calidam movit amore facem.
Magnorum dios genios imitare Virorum,
Et ſocia cordi pectora *Coya* tuo.
Tendimus huc Omnes; thalamum prop[illegible]amus ad unum,
Nec cupiet ſapiens cælibe ſorte frui.

Ad Eundem.

De improviſo Sponſa obitu. An. 1656. *Oct.* 31.

Mira loquor; ſed *dura* loquor: contraria rebus
Nititur humanis dextra timenda DEI.

Feſta

Feſta parant homines; *infeſta* Jehova reponit:
Pro *lætô Cethi* panditur urna toro.
Junonem meditatur homo; *Junone* repulſâ
Succedit triſtitrux *Libitina* vice.
Teſtis ades Clarios inter celeberrime Myſtas,
Floridus Aoniô, Vir venerande, jugô:
Ad *thalami* Te dulcis Hymen ſua feſta vocabat;
Atropos ad *tumulum* te revocare jubet.
Inſtitit ipſa dies; jam nubilis inſtitit hora,
Quâ fuerat fidei *Coya* ſacranda tuæ.
Aſt fuit atra dies, miſerabilis ingruit hora,
Quâ fuit ex ævi *Coya* movenda ſinu.
Ad thalamï conviva frequens Hymenëia tendit
Gaudia: ad exequias Parca venire jubet.
Ipſe (quid inficier?) mundô mea corpora cultu
Ornabam, qualem tempore poſcit honos.
Nuncius inclamat; comtum depone decorem,
Et muta triſti læta decora lutô.
Heu miſer obſtupui, lugendáque fata dolenti
Excidit ex oculis lacryma larga meis.
Non tulit Exemplum multis par Druſis ab annis:
Una dies thalamum præparat: una rogum.

De nonnullis Suecorum Herbibus.

Sidereos bellax miratur Suecia *Tauros*:
Et *caput* excellens ipſa *Leonis* habet.
Eminet & Gothica *Capricornus* ſtrenuus orâ:
Jungitur his *Aries* nobilitate ſuâ.
Cætera ſi nôſſem Suecorum ſidera, fortè
Zodiacum poteram conſtituiſſe novum.

Quinque Epigrammata,

Orationi meæ priori, de Calendis Januariis, quondam apud Romanos, & hodie apud Chriſtianos Novi Anni Civilis auſpicibus, verbis totidem ante hac annexa. An. 1657.

I.

AD COMITEM ILLUSTRISS.

Quæ Tibi, Celſe Comes, Jani ſacrabo calendis
Munera? Num largas Terra miniſtret opes?

Num licet aëriis ſublimes cogere gazas
  Tractibus? aut patulis promere fœnus aquis?
Ignibus excoctum jubeas procudere lucrum?
  Aut ſi nobilius quæ plaga munus habet?
Non Elementa Tuô condignum Numine donum;
  Tanta nec inferior pignora mundus alit.
Dona petam Cœlô: cœleſtia ſuſcipe cœles:
  PROPITIUM voveo pectore & ore DEUM.

II.

AD VIRUM GENEROSUM.

Si, quos ardeſcens ſublimat ad æthera Virtus,
  Strena decet magnos ſtrenuitate Viros:
Enthea debetur generoſis ſtrena tropæis:
  Quæ tua ſtrenuitas Martis honore tulit.
Sæpe tuis cecidit manibus robuſtior hoſtis:
  O caderet noſtrâ per Tibi ſtrena manu?
Dona tamen promam; ſed non Mavortia, caſtris:
  Vota feram telis ſtrenuiora tuis.
Vota polum penitrant; non igneſcentia tela:
  Vota ſuum vincunt, non cita tela, DEUM.

III.

VIRO EXCELLENTISSIMO

Acad. inclytæ Profeſ.

ARISTARCHUM & ARISTOTELEM VOTIVUM

Strenæ locô mittit.

Quas portem ſtrenas, Fautor venerande, requiris?
  Donat Apollineos noſter Apollo libros.
En tibi GRAMMATICES magnum tranſmitto patronum:
  En tibi Philoſophûm mitto perenne jubar.
Primus ARISTARCHUS tibi temporis oſtiâ pandat:
  Alter ARISTOTELES temporis orſa probet.
Quid voveas majus totô, Vir Nobilis, annô;
  Si ſit ARISTARCHUS: ſi ſit ARISTOTELES?
  i. e. optimè incipiens. i. e. optimè finiens.

IV.

In avarum ſtrenarum aucupem.

Strenam, ceu *trenam* præfixô ſigmate Feſtus;
Euclio *Smillenam* dicere dona jubet.
In promtu cauſſa eſt: inhiat malus Euclio donis:
Et potiùs trinis vult ſibi mille dari.

V.

Strena inauſpicata,

Qua Herus Servum mactaverat.

Heu quantum veteri noſter deſcivit ab orbe
Orbis; & antiquos non colit ille modos.
Regibus antiqui virgas miſere ſecundas:
Jam ſervis ferulas promit iniqua manus.
Verbenis Tatio priſci plauſere Sabini:
Verbenâ in noſtrô corpore plaudit Herus.

QUIES DEI

Quâ Matrona, omni laude digniſſima,

ELISABETA SIEFERTIN,

Nobiliſſimi, Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. DANIELIS MEIENREISII,

Civit. Elbing. Coſ. Conjux beatè defuncta, in Cœlo fruitur, è Nominis indicio expreſſa.
An. 1652. 19. *Jan.*

Turbida turbatum turbantur cuncta per Orbem;
Cuncta quatit creperis ſors fremebunda rotis.
Nullibi certa quies; ſeu te tellure recondas,
Sive petas imas gurgite merſus aquas:
Seu ſpecuum latebras ſubeas, nemorumque receſſus,
Seu ſcandas tendens montis ad aſtra jugum:
Nubila ſi penitres, & ſyncipût aëre condas,
Ducit ad Arctoum qua via celſa polum:
Undique mortalem turbantia Fata ſequuntur;
Nec ſupereſt ullus pacis in orbe locus.
Eſt tamen alma quies certò promiſſa fideli,
Hanc licet haut miſeri circulus orbis amet.

Cœlô certa *quies* : *Cœlô requieſcere* fas eſt :
Cœlô vera *piis* ſtat *requiete* ſalus.
Hîc Tua jam *requie*, Conſul mœſtiſſime, Conjux ;
Hîc fruitur placidis ELISABETA bonis.
Hîc optata pii ſimul halcedonia vivent,
O benedicta DEI, cùm venit illa, QUIES !

VER-HIEMALE

Rever. & Doctiſſ. Viri,

DN. PETRI HASSI,

Eccleſiæ Lentzo-Dorbecianæ Paſtoris, Sponſi cum ELISABETA CRAUSIA. *An.* 1657. *Sept.* 10.

Lenſanis quidem degis modò Paſtor in agris,
Grataque pagani nomina *Veris* habent :
Non tamen æterni durant ibi tempora *Veris*;
Annus amat ſolitas, ſicut ubique, vices.
Succedit *Veri* maturis frugibus Æſtas,
Autumnumque gravis frigore trudit *Hiems*.
Hoc Te, Sponſe, monet mens non incauta futuri ;
Jamque vides *Veris* præteriiſſe dies.
Finiit *æſtivos* Libræ ſubſidere ſoles
Incipiens ſuetum currere Phœbus iter.
Quin metuis Brumæ faciem rigidoſque capillos,
Nec Te poſſe frui perpete *Vere*, notas.
Verna tamen medio ſperas in frigore *Brumæ*
Gaudia, quæ thalami florida prata vehent.
Spes rata, Sponſe, fiet : *Vernoque* perennia *pagô*.
Secula cum chara Conjuge *Veris* agas !

Fax Pronuba,

Nuptiis Reverendi ac Doctiſſ.

DN. CYRIACI MARTINI,

Paſtoris Elbing. ad D. Corp. Chriſti, & SABINÆ HOLSTIÆ, *Virginis pudiciſſimæ, accenſa. An.* 1657. *Octob.* 8.

Liv. lib. 1. *Dec.* 1.

Defuit Auſoniis Romæ naſcentis alumnis
Fœmineum ſtructa nuper in Urbe genus.

Solli-

Sollicitant Venerem, quæruntque in pacta *Sabinas* :
Ceſſit & in vacuos multa *Sabina* toros.
Ergóne Romuliden Te, Sponſe noviſſime, credam,
Qui modò Martigenas ſic imitare viros ?
Nam Tibi cœleſtem poſtquam cultiſſima ſpartam
Druſis, & ætherium munus habere dedit :
Deerat adhuc thalamo conjux & coſta marito :
Quid fit ? in amplexum virgo *Sabina* datur.
Eſtis uterque pares, & nomina grata *Sabinæ*
Æmulus Æneadum Sponſus amator amat.
Non tamen ex æquo ſocialia fœdera pangunt :
Connubii ratio diſpar utrinque patet.
Romulus invitas raptu furace puellas
Abſtulit ; ecce Tibi promta puella venit.
Romulidis fecit vis & violentia Sponſas :
Hanc Tibi vi fervens pectore jungit amor.

In Nuptias

DN. DANIELIS RADENRECHTS,

Civis ac Mercatoris ; &

CHRISTINÆ LARDINGS,

Virginis Nobiliſſimæ. An. 1657. *Octob.* 9.

ARIADNE REDIVIVA.

Cyprius ecquid amor ? fallax labyrinthus, & antrum,
E cujus dubiis vix datur ire plagis.
Hactenus in tricis his *Fadenrechtius* hæſit ;
Caſſibus innexus totus amoris erat.
Non fuit, hærenti qui poſſet ferre ſalutem :
Exſolvit vinctum compede nemo virum.
Aſt Ariadna tamen tandem ſperata reſolvit,
Eximit & Paphiô Theſea ſponte jugô.
Eſt Sponſus Theſeus ; Ariadne Sponſa vocatur ;
Sponſa poteſt cæcis expediiſſe plicis.
Ethnica flexivagis extricat Theſeá tricis,
Monſtrat & optatam cauta Ariadna viam.
Non minùs ex voto ſe *Fadenrechtius* olim.
Fauſtum *Lardingæ* ſentiet eſſe torô.
Nam bene dum ducet prudens *Lardinga* maritum ;
Sat *filô-rectô* cuncta peracta cadent.

Applauſus Gratulatorius

Ad Magnific. Nobiliſſ. Ampliſſ. Præ-Coſ.

DN. MICHAELEM HELWING,

ceu Socerum, de Genero novo, Nobiliſſimo ac Literatiſſimo

DN. FABIANO HORNIO,

Filiam Ejuſdem lectiſſimam Gertrudem *ducente in matrimonium. An.* 1652. *Oct.* 16.

Damnum Reſartum.

Non veteris refricabo mali ſanabile vulnus:
  Prætereo Natos, quos tulit atra dies:
Nè recrudeſcat damnis obducta cicatrix,
  Et turbet plauſus nigra querela Tuos.
Jubila depoſcunt præſentis tempora feſti;
  Nunc eſt lætandum liberiore modô.
Gaudia tanta valent luctus ſepelire priores,
  Florida dum thalami FILIA jura ſubit.
Dum veteres clades, & priſtina damna reſarcit
  Nobilis Aoniæ Pallados arte GENER.
Hic GENER, hic refert Natum, quem Gallia Blœſæ
  Abſtulit: Hic Ejus ſupplet abunde vices.
Hic tibi reſtituet, ſi quam Tibi Fata propagem
  Aſpera Druſiacis abripuêre focis.
Macte recente bonô; GENERUM complectere tantum,
  Perdita qui reparat; qui tua damna levat.
Inclyta nunc veſtrum Genus incrementa capeſſet;
  Pluraque nobilius germina Stemma feret.
Lætior applaudo cœptis, voveoque; beatus
  Sit GENER ille Tuus: ſit GENUS inde Tuum.

Epi-

Epigrammatum Trias,
E Cognomine
MARIÆ ENGELKIN,

Sponſæ derivata: Et ad Virum Nobilem,
DN. GEORGIUM CHRISTOPHORUM VIETHER,
Vectigalium Sereniſſ. Regis Sueciæ in Palatinatu Mariæb. h. Inſpectorem: Itemque Excellentiſſimi Generalis & Gubernatoris
LORENTZ, von DER LINDE,
Liberi Baronis &c. Aulæ Præfectum, Sponſum directa. An. 1657. Dec. 11.

I.

Converſatio Angelica.

In Cœlo quondam (ſic dicere ſæpe ſolemus)
Angelicis vivet mens pia juncta choris.
Anticipat SPONSUS; qui degens incola terris
Angelicum lateri jungere pectus amat.

2.

Paradoxon.

Quæritur, *Angelicam* num poſſit ducere Nympham
Sponſus, & *humano* nubere SPONSA Viro?
Perneget hoc aliquis; nobis ſtatuiſſe placebit:
Eſt theſis hôc ipſô vera repertâ die.

3.

Ein ieder Menſch hat ſeinen Engel.

Angelus unicuique ſuus, geniuſque quòd adſit,
Nonnulli certâ credere mente ſolent.
Sive ſit, aut non ſit, de Te dubitare vetamus:
Angela Te cuſtos nocte diéque *Juvat.*

In Nuptias
Viri, Humanitate, Doctrinâ & Arte præſtantiſſimi,
DN. ACHATII CORELLII,
Civis & Typographi Elbing. cum Anna Graſoffin,
Dn. Martini Preuſſii *relicta Vidua.*
An. 1658. *Jan.* 22.

I.

Prælum Amoris.

Quamlibet æratis libraria capſula formis
Plena ſit; haut fiet lætior inde torus.
Affluat ut major, mediuſque, minorque character;
Non ideò thalami florida Sponſa viget.
Sit licet aſſiduô ſudans ſub pondere prælum
Mobile; non fervens inde juvatur amor.
Junxeris *Uxorem?* prælumque toruſque valebunt:
Suaveque cum prælo certet amoris opus.

II.

Ænigma.

Vox eſt, quam Latium deſcribit quinque figuris:
Vocali geminæ conſona mixta triplex.
Res ea non campis creſcit; non ſponte ſub auras
Naſcitur: aſt lucem preſſa labore videt.
Singulus in Multum Numerus mutetur, & inde
Nectatur caudæ litera nona ſuæ;
Res nova tum prodit, thalamo res grata jugali;
Quâ ſine ceu ſtellis orbus Olympus erit.
Pluria qui cupiet, Sponſum ſibi conſulat: Olim
* *Sponſus utrumque dedit: Sponſus utrumque dabit.*

III.

Mantiſſa.

Chalcographi Viduus poteras bene munere fungi:
Tecnographi munus rite *Maritus* habet.

* *Ænigmatis materia eſt* Liber ein Buch/ *duabus Vocalibus, & Conſonantibus tribus conſtans: cui ſi in plurali addatur litera Alphabeti nona* I, *naſcuntur* Liberi Kinder.

In

In Sacrum Nuptiale
DN. JOHANNIS JUNGSCHULTZII,
Præ-Conſularis Filii: Et
JUSTINÆ HOPPIÆ,
Præ-Conſularis Filiæ, An. 1658. *Mart.* 12.

TRIDUUM

Nobile & Notabile.

I.

Dies Antecedens Nuptias.

Nundinæ Seminales: Der Kauffſelige Montag.

Proſpera mercanti venundantique vocatur
  Iſta dies: felix non Tibi, Sponſe, foret?
Semina pulvinis coëmit ſpargenda ſubactis,
  Et ferit, unde metat rure *Colonus* opes.
Non dubito, Te Sponſe, forum viſiſſe beatum:
  Nam quoque ſementis pòſt facienda Tibi.

II.

Dies Nuptialis.

Gregorii veſtræ ſignantur nomine tædæ:
  Nimirum *Vigilem* Te cupit iſta dies.
Ignavi nullos unquam duxêre triumphos:
  Incingit *vigiles* pulcra corona comas.
Præmia victoris poſcis? *vigil* eſſe labores:
  Et præſtes *vigilem* nocte dieque torum.

III.

Dies Conſequens Nuptias,
Temporis Quadrimeſtris elapſi meta:
Vulgò Quatember.

Iſta dies noſtris eſt exoptata Camœnis,
  Publica quòd ſudans præmia Muſa capit.

Quæ Nymphæ ſolves, Neonymphe, didactra recenti?
  Quæque Tibi retrò Nympha didactra dabit?
Munus uterque tenet: *Te, Te facit Illa Maritum:*
  Tu facis, ut vitæ retia jure gerat.

Frons Metrica, è Muſarum nemore defracta,
& Florentiſſimo Sponſorum Pari,

DN. MICHAELI MEIENREISIO

Elbingenſi, *ac*

JUSTINÆ SCHONBRUKERIN

Grudentinæ, *conſecrata: Anno.*

O floresCat Inſigne par frонD IU M!

Ad ſacra Te *Majus* ducit ſocialia Menſis,
  O *Maji-frondis* gloria, ſtirpis amor?
Rectiùs haut aliô poteras accendere feſtas
  Tempore connubii commodiore faces.
Nempe tuæ *Majus* natalia Nomina Genti
  Contulit, & vernâ fronde virere dedit.
Non jam diffuſos, Majorum nomina, *Ramos*;
  Non pandam laudes, Stirps bene nota, tuas:
Præſentes veneror *binos* in Druſide *Patres*
  Meinreiſiadum Germina clara Virûm.
Tertius eſt *Sponſus*, cuî ſe nunc noſter Apollo,
  Cuî ſe Caſtalidum conſecrat omne nemus.
Hîc ſi tôt nitidi riderent carmine flores,
  Quot Tibi virtutes pectore, Sponſe, virent:
Tum Tua laus Clariô poſſet revireſcere verſu;
  Pulcrior iret honos floribus, Hybla, tuis.
Jam ſatìs eſt thalamo florentia quæque precari:
  Congrua nominibus fata vovere ſuis.
Frondeſcat *Ramus*, quò ſurgat *Ramulus* alter,
  Et *Meireiſiadum* creſcat ovetque Genus!

Ad Virum Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. GEORGIUM BRAUNIUM

Patriæ Coſ. & h. t. Cameræ Præfectum, Obitum Conjugis deſideratiſſimæ

ELISABETÆ FREILINGIÆ

Lugentem. An. 1658. *Sept.* 19.

1.

Funebre Programma.

Conveniunt lætis *Epigrammata dulcia* rebus
At caſum triſtem *triſte Programma* decet.
Haut modò lætaris; turbant nunc triſtia pectus;
Hinc *Epigramma* vale: triſte *Programma* paro.

2.

Metamorphoſis Cognominis DN. G. BRAUNII.

Hactenus, ô BRAUNI, *fuſcum* Te Muſa canebat:
Non erat infauſti nominis ille color.
Sed nunc *ater* ades: quæ Sors tua nomina mutat?
Mors verum formas vertere *nigra* ſolet.

3.

Ex Nomine Officii DN. CAMERARII.

Fungeris officiô, *Cameræ* quod nomine ſignat
Teuto? nec in *Camera* tuta Marita latet?
Scilicet abſcondas ſaxô Te prorſus & ære;
Parca tamen clauſum protrahet inde caput.

4.

Quies Dei.

Ex Nomine defunctæ ELISABETÆ.

Nulla *quies* mundô; jactant nos fata procellis:
Si *requiem* poſcis, cœlica regna petas.
Non habuit *requiem* Conjux Tua triſtibus Orbis
Fluctibus: in Cœli ſede *quieta* manet.

5.

E Cognomine E. FREILINGIÆ.

Vita quid in terris? obſcuri carceris antrum;
Vita quid in Cœlo? *libera* vita poli.

In

In terris FREILINGA, nigrô ceu carcere, vixit:
Libera ſed Cœlô nomine réque viget.

In Nuptias
Nobilis ac Humaniſſimi
DN. ALEXANDRI STRAUSII,
Et egregiæ Virginis,
ELISABETÆ KITTLOFF.
celebratas. Anno 1659.

Ad Nobiliſſ. Dn. Sponſum.

I.
Bonis Avibus.

Perge *bonis avibus*, Juvenum lectiſſime, STRAUSSI,
Et ſocies ori Virginis ora tuo.
Quis dubitet, dextrô quin *alite* ſingula cedant?
Ipſe refert Gentis nomine Sponſus *avem.*

2.
De Aucupio Cupidinis.

Labitur Autumnus, laqueos quô callidus auceps
Tendit, ut implicitas baccula fallat aves.
Ipſe Cupido plagas nuper per teſqua tetendit,
Ut gratam pedicis illaquearet avem.
Retia vix pandit, cùm *Struthio* retibus hæret;
Quem Sponſæ tali fert puer ipſe modô:
Dic, age, quas volucres adames? fero, Sponſa, volucrem:
Ecce ſibi *turdum* Sponſa precatur avem.
Riſit ob hoc auceps: capias mea munera, dixit;
Nunc tibi præ *turdo Struthio* gratus erit.

3.
Alluſio ad Luſum Elbingenſibus uſitatum, quem vocant Das Elementen Spil.

Læta cohors Venerum, ludas pro more frequentans,
Convocat in ſolitos ipſa elementa jocos.
Quæque legit *quadrupes* terræ ſibi climate brutum:
Et *piſcem* ſub aquis; aëre ſignat *avem.*
Non dubito, quondam Sponſæ quin *Struthio* lectus

Sæpe

Sæpe ſit; aëriam quando legebat avem.
Struthio nunc aptè legitur minus aëre vaſto:
Struthio nunc thalamo, Sponſa, legendus erit.

Ad Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ. Virum

DN. BARTHOLOMÆUM MEIENREISIUM,

Antehac Patriæ Curiæ Conſulem; Nunc Patriæ Scholæ Scholarcham deſignatum.

Martia *præfecti*: Phœbeïa caſtra *Scholarchæ*
Prudenter vigili ſedulitate regunt.
Non eſt Unius labor hic: ea cura requirit
Herculeâ plures ſtrenuitate Viros.
Gaude, Phœbe Pater! Proceres in Druſide binos
Antè tuô claros culmine montis habes.
Helwingus prior eſt: venit *Meireiſius* alter:
Venit ab auſpicio, Phœbe benigne, tuo.
Hinc capit augurium præſens, & florida quæque
Augur in hoc noſtro ſperat Apollo ſolo.
Nunc foliis revireſcet honos frondentibus Horti,
Cingentis celſæ limina tota Scholæ.
Quid cauſæ? *Helwingus* virides fert *Abjete* frondes:
Tu *Ramum* jungis, magne Patrone, tuum.
Abjete ſub tali; *Ramóque* virente ſub iſto
Proſpera promittit ſecula Muſa mihi.

Elogium Anagrammaticum

Plur. Rever. ac Doctiſſ. Viro

DN. MELCHIORI BROCHMANNO,

Elbingæ ad D. Annæ Paſtori, Conterraneo, Compatri ac Amico colendo, locô Genethliaci, miſſum.

MELCHIOR: MEL CHORI.

Melchior haudquaquam minimus fuit Ille Magorum,
Queîs dux ad Chriſtum ſtellula monſtrat iter.
Ille fuit triplicis lumen ſiduſque catervæ:
Tu, *Brochmanne*, pari laude merére cani:

Cyn-

Cynthius has promit conſtans anagrammate laudes :
 Te vocat Aonii *Melque* decuſque *chori*.
Succinit Euſebie, ſupremi filia Patris :
 Teque *chori* ſacri *Melque* favumque vocat.
Ambigo, num Muſa nobis potiore canendus
 Priſcus, an hic noſtræ *Melchior* Urbis amor.

Ad Nobiliſs. Excell. Ampliſſimum Virum

DN. JOACHIMUM PASTORIUM,

Sereniſſ. Pol. & Suec. Regis Hiſtoricum, Profeſ. Gedan, honorarium, Filiæ natu & virtute maximæ mortem immaturam lugentem.

SOCIETAS DOLORIS.

Haud ſeſe Gedani potuit compeſcere Luctus
 Mœnibus; ad noſtræ Druſidos arva volat:
Noſtraque conturbat funebri pectora Fatô,
 Quô Lacheſis Balthes littora veſtra quatit.
Indolui, noſtras cùm Fama referret ad aures,
 Quòd defloruerit germina prima tori.
Hoccine commeruit, dixi, *Paſtorius*, alter
 Delius, & Famæ nobilioris apex?
Volvere vel Tacitos, vel ſummos arte Platonas
 Maluit, & Celſum percoluiſſe ſuum.
Sed fera Parca manu divina volumina raptat:
 Hæc facit, ut ponat grande Platonis opus:
Nunc inviſa fugit veteris monumenta Galeni:
 Abſtinet Hiſtorico mœſta labore manus.
Jam modò cordivoro juvat indulgere dolori,
 Et raptum Natæ collacrymare decus.
Eſt grave, confiteor, quô Te jam vulnere cuſpis
 Sauciat iratæ ſanguinolenta necis:
Sed quia Te, tantum Sidus, ſtatione celebri
 Conſpicuum toto Pallas in Orbe vehit:
Et quoniam ſuperas alios virtutibus amplis;
 Nunc etiam *patiens* funera mœſta feres.
Ad Muſas & ſacra redi; gradibuſque citatis
 Inclytus æternæ currito Laudis iter.
Sic magìs exemplô fueris mirabilis Orbi:
 Fataque Te placidâ mente tuliſſe caret.

MUL-

MULTIPLEX JACTURA.

Vidimus ingeniô celerem fugiſſe *Sibyllam*:
  Vidimus, ut caderet *Margaris* alma nece.
Vidimus *Euſebien* lugubri funere mergi:
  Vidimus, infauſtâ *Fauſta* quòd iret ave.
Vidimus, exſtingui nitidam virtute *Suſannam*:
  Vidimus, ut fuerit mortua blanda *Charis*.
Aſt vice diverſâ ceſſiſſe tot aſtra notamus:
  Hæc aliô; atque aliô Mors tulit *iſta* die.
Nunc ſimul hæ ſtellæ ſola fuſcantur in ANNA:
  Sola tot obſcurat nobilis ANNA faces:
Scilicet HAC UNA reliquæ latuêre: *Sibylla,*
  Margaris, Euſebie, Fauſta, Suſanna, Charis.

Gloria Maji
Ante *Majum* conſpicua
In Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo Viro,
DN. BARTHOLOMÆO MEIENREISIO
Præ-Coſ. Reip. Elb. Patr. nuncupato. Anno 1659.
Mart. 25.

MARTIUS humano menſis devolvitur Orbe:
  MAJUS adhuc nobis tam procul almus abeſt.
Et tamen effundunt MAJALIA Germina florem:
  Germinibus florem quid celerare poteſt?
Scilicet anticipant *generoſæ* tempora *frondes*:
  Ante ſuum tempus *nobilis Herba* viret.

Horticulturam
Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo
DN. DANIELI MEIENREISIO, COS.
in Suburbio Elbingenſi Auſtrali Cœlô & Tellure faventibus cœptam gratulatur F. H.

Non adeò mulcent noſtras dulcedine mentes,
  Quæ ſunt alterius progenerata manu.
Valdiùs afficiunt animos, quæ propria fingit
  Dextera; quæ noſtrâ fabricat arte labor.

Inſpice

Inſpice præprimis Cœli Terræque Parentem,
A quo bis trinô cuncta creata die.
Condiderat *lucem*; bona lux eſt viſa creanti:
Condiderat terram; Res bona terra fuit.
Condidit is Cœlum; Cœlum bonitate placebat:
Condidit & *ſtellas*; judicat eſſe bonas.
Condidit *herbarum* ſpecies tot mille, *ferarum*
Mille, volatilium mille; ſat omne bonum.
Denique Cunctipotens *hominem* de pulvere terræ
Suſcitat: atque bonus non minùs ille fuit.
Sic cœleſte ſuô gaudebat ploſmate Numen:
Sic DEUS, in toto quod parat Orbe, probat.
Quid faciant homines, faciunt cùm talia Divi?
Non juvet hoc hominem, quod bene fecit, opus?
Te voco nunc teſtem noſtris, *Patrone*, Camœnis:
Horti Tu Dominus: Tu ſator ipſe tui.
Hîc quondam cultuque carens, deſertaque tellus;
Hîc ſtetit immundo turpis arundo lacu.
Hîc ſua Nereïdes laverunt labra fluentô:
Ranaque limoſis garrula vixit aquis.
Non paſſus ſqualere locum MEIRISIUS ultrà:
Cultorem meruit terra beata novum.
Ad *Boream* ſurgunt ſublimia Druſidas Urbis
Mœnia: ad *occaſum* Fluminis unda fluit.
Auſter in immenſis pandit ſe gramine pratis;
Prataque, quà ſurgit Cynthius, ampla patent.
Impiger urget opus: cumulatur acervus acervô:
Æquat & humentem prorſus arena lacum.
Planities ſurgit: munitur ſtipite ſepes:
Panguntur rami: ſemina jacta virent.
Omnia felici creſcunt fruticantia limô:
Fallor, an à Domini nomine planta viget?
An plantantis amor, fœcundaque cura colentis
Germina tam fauſtâ proſperitate beat?
Perge alacris coluiſſe ſolum: Tibi germinat Hortus:
Cultorem Tellus Te cupit iſta ſuum.
Oblectent oculos plantæ, quas dextera ſevit:
Fertilis & fructu repleat arbor Herum!

Deliciæ Cupidinis,

Quibus feſtivitatem Nuptialem, Nobiliſſimi Sponſorum Paris,

DN. AMBROSII PAYNII,

Et

MARIÆ HOPPIÆ,

condiebat. Anno 1659. *Jun.* 30.

1.

Cupidinis Quæſtiones.

Ad Sponſam, Genus *Maſculinum Fæminino* præferentem. *Quæſt.*

Ambroſia Ambroſium cur Sponſa venuſtula præfers?
Ambroſiam Ambroſio nonne præire decet?
Nè mirére Puer: Jactat Genus illę *virile:* *Reſp.*
Fœmineo præſtat jure *virile* Genus.

2.

Ad Eandem

Cœleſtia Terrenis poſthabentem.

Cœlica Terrenis audes poſtponere Virgo? *Quæſt.*
Cœlica terrenis ſunt potiora bonis.
Ambroſiâ Cœlo quodambet JOVA fruiſci: *Reſp.*
Ambroſiô, terris dum bene vivo, fruar!

3.

Cupidinis Limitatio ſuper Axiom. Philoſoph.

Contraria ex eodem Subjecto ſe expellunt.

Quòd duo Subjectô ſeſe contraria pellant,
Nos bene Philoſophûm Regula trita docet.
Non *calor* & *frigus* lympha junguntur in una;
Corpore non uno vitaque morſque manent.
Candida non *nigrant:* non ſunt *deformia pulchra:*
Et quæ *mel* ſapiunt; non ea *felle* ſcatent.
Hôc igitur dictô ſi non Exceptio detur,
Cum Sponſa Sponſum non ſociabit amor.
Triſtis *amarities* tribuit ſua nomina Sponſæ:
Dulcore Ambroſiô nomina Sponſus habet.

Non

Non *dulcor* bene conveniunt, & *amaror* in uno:
At bene conveniunt: ecce, Cupido refert.
Nè mihi Philoſophus thalamum turbaverit, inquit:
Regula ſit librô, non valet illa forô.

4.

Cupidinis Ænigma ad Virgines.

R. quæ *fronte* ſuâ monſtret, mihi dicite Nymphæ:
Quæ teneat *medio*; quæ quoque *calce* gerat?
Ordine dicetis: primùm tu Sponſa loquaris:
Dic, annon *mediô* ſtet maneatque locô.
* *Ruth*, MaRia, EſtheR.

Ad Rever. Clariſſ. Virum

DN. CHRISTOPHOR. HENCKIUM

Dicendô, Scribendóque Eccleſiæ inſervientem.

Hactenus edentem mirabilis ore loquelæ
Audiit ætherios Druſica turba ſonos.
Mnemoſynes alii ſuper aſtra tulêre vigorem,
Qui tantas arctô pectore condit Opes.
Luctârunt alii linguæ revolubile plectrum,
Quod citra offenſam condita mente refert.
Pondera dixerunt alii, momentaque rerum
Ex variis ludum nata ſubinde locis.
Nunc majora parat; divinaque verba cathedrâ
Perſonuiſſe Sacrâ, non ſatìs eſſe putat.
Ad calamos prælumque ruit laudabilis ardor,
Mandat & æratis publica dicta typis.
Non ea laus levis eſt: parili ſi pectoris auſu
Dicere quis rectè; *Scribere* ſique poteſt.
Grande Tibi decus eſt, conceptum ſenſibus, HENC-
KI,
Quòd bene *dicis* opus; quòd bene *ſcribis* opus!

In

In Nuptias

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi Viri

DN. DANIELIS MEIENREISII,

Civit. Elbing. Coſ. cum

BARBARA BRUNO-HESIA,

Anno 1659. 26. *Aug.*

Limina ſic igitur noſtris vicina relinquis,
 Et Laribus vacuis HESIA tecta petis?
Durius eſt, fateor, tali caruiſſe Patronô,
 Qui mihi *Vicinus*, ſed magè *Fautor* erat.
O mea ſi forti frenet Te compede Peitho,
 Noſtra vel adferret metrica Muſa moram:
Vicinis nondum poſſes ſecedere tectis,
 Stringeret affixum noſter Apollo pedem.
Fortior eſt Nobis Tua nobilis HESIA Victrix:
 Pallade plus noſtrâ Te trahit almus Amor.
Non equidem invideo, doleo tamen: at ſimul oro,
 Nè tecum abſcedat priſtinus ille favor.
Tecta ſubi Sponſæ: *tamen huc reflecte favorem,*
 Quem vicô patulô linea recta vehat.

Circulus Mortalitatis,

Quem Spectabilis, & Virtute, Eruditione, ac imprimis Mathematum ſcientiâ ornatiſſimus Vir

DN. GREOGORIUS BRAUNIUS,

Civis Elbingæ Patriæ optimus; & triginta ac duumvirum, ibidem Communitatem repræſentantium Socius digniſſimus, morte prematurâ ereptus, ſubivit.

HERODOTUS.

Eſt veluti *Circulus* quidam rerum humanarum, qui ſuâ *rotatione* non permittit, eoſdem ſemper agere fortunatè.

Heu

Heu nihil invenias vaſto ſub *climate* Mundi,
Quod ſtet *quadratâ* mole ſub *axe* tenax.
Cuncta voluta ruunt *teretes* imitata Cylindras:
Nil verè *ſolidum* eſt *ſegmen* ubique vides.
Omnia Mors vertit, mutans *quadrata* rotundis:
Recta rotat motu, *curvaque* cuncta ſuô.
Si te *pyramides* famæ ſuper æthera tollant;
De ſubitò retrò lapſus ad ima rues:
Sive *ſinu* ſedeas gemmatô ſortis amicæ,
Te *tangent* Parcæ, quæ tua fila *ſecent*.
Priſmata ſi fulvis teneas repleta metallis,
Non fuerint vitæ *fulcra baſiſque* tuæ:
Singula ſi nôris doctrinæ *puncta*; *dioptras*,
Et *normas* verſans, quas *Geometra* colit:
Nil Tibi vel *conus*, vel *conia ſectio* profit:
Nullam *quadratus* fert tibi *cyclus* opem.
Angulus eſt *rectus* terris, *obtuſus*, *acutus*
Nullibi; quin lethi te trahat inde furor.
Scilicet hoc fixum Clotho *problema* cruentum,
Ultima ſum rerum Linea, ſemper habet.
Non priſcis exempla petam notiſſima ſêclis:
Tu, Brauni, exempli nunc potes eſſe locô.
Non tibi doctiloquis tantùm ſtuduiſſe Pelaſgis,
Nec tantùm Solymam diſcere, fervor erat:
Poſt linguæ ſtudium Sophiæ luſtrare Penates,
Atque Mathematicen cura tenere fuit.
Euclides quicquid ſubtilis acumine ſcripſit;
Quicquid *Swenterus*, ſive *Crugerus* habet:
Quicquid & hîc, alter noſtrâ *Vitruvius* Urbe,
Henricus Thomæ repperit artis ope;
Hoc curâ ſolerte nimis cognôſſe ſtudebas,
Ut patrio poſſes utilis eſſe foro.
Sed Te nil *normæ*, dextræ nil *circinus* aptæ,
Nil *perpendîclum*, nil juvat artis opus.
Recta tuæ vitæ mortis ſicelice *ſecatur*
Linea. *ſegmento* vita repulſa fugit.
Nos hinc mortales cognoſci poſſumus omnes:
Quippe *parallela eſt* ſors tua; noſtra ſimul.
Sed *punctum* omne feret, qui *rectâ* tendit ad aſtra:
Qui *convexa* Poli poſt ſua fata ſubit.

In Nuptias

Nobilis Viduati Paris

DN. JOHANNIS COTTAMI,

Et

JUSTINÆ PAYNIO-TRAVELIÆ.

Anno 1659. *Nov.* 10.

Diverſum Ingenium
Juſtinæ Peiniæ & Daphnes Peneïæ.

Cur quondam Phœbi *Peneïa* fugit amores
  Daphne; quos minimè *Peinia* cauta fugit?
Scilicet amplexus fugit *Peneïa* turpes:
  Eſt hic, quô flagrat *Peinia*, caſtus amor.

Pentas Epigrammatum

In Obitum Nobiliſſimi, Spectabilis, Conſultiſſimi Viri,

DN. GERHARDI TRUNCCII,

Advocati Communit. Elbing. Prætoriſque Suburbani. An. 1659. *Dec.* 4.

1.
Officium Funebre.

Non ingrata fuit vivo mea Muſa Patrono:
  Hanc quoque præconem poſt ſua fata vocat.
Adſumus, haut cedri *truncis* incidere *Truncci*
  Nomina; Pieriô ſcribimus illa jugô.

2.
Circumſtantia Temporis.

Adventum celebrat ſolitis Eccleſia votis;
  Quô populus Chriſto *veſtibus* ornat iter.
Trunccius haut voluit Chriſto ſupponere veſtes.
  Corporis exuvias ponere, dulce fuit.

3.
Nomen Baptiſmatis GERHARDUS.

Nomina *duritie* deducta, Gerharde, gerebas,
  Corpore qui validus, mentéque firmus eras.

Corporis atque Animi fractâ Mors ſæva probavit
Duritie, durum nil nimìs eſſe ſibi.

4.

Nomen Familiæ, TRUNCCIUS.

Truncciu in vivis noſtræ fuit utilis urbi :
Mortuus in ferętro *truncus* inerſque jacet.
Ut tamen è *trunco* viridis ſe ſeminat arbor :
Trunccius è rupta ſic quoque ſurget humo.

5.

Advocatus Communitatis.

Communis fueras Populi præfectus & Urbis ;
Os, faciens facili pro Grege verba ſonô.
Hinc tua *communi* deflentur funera luctu :
Et *mutus* Civis muſſitat ; *Ore caret.*

Ad Magnificos, Nobiliſſ. Ampliſſ.

DN. CADUCEATORES ELBINGENSES,
DN. BARTHOL. MEIENREISIUM *Præ-Coſ.*
DN. HENRIC. TRESCHENBERGIUM *Coſ.*
DN. GEORG. BECKHERUM *Secret.*

A compoſitione pacis Olivenſis reduces.

Aurea pax, noſtris quæ fugerat exul ab oris,
Deſertos repetit, dulcis amica, Lares.
Hanc *tuba* præteritis reſonô clangore diebus
In patulo cęcinit, perſonuitque foro.
Hanc tonuêre ſuô *tormenta* exploſa boatu :
Hanc *Myſtes* lætô publicat ore ſacer.
Stat ratis in portu : Vos, Vos, qui vellera Pacis
Aurea curâſtis, cernere Civis avet.
Patria Vos lætis complecti geſtit in ulnis,
Cuî tantum peperit provida cura decus.
Tu, MEIENREISI, *frondem* florentis Olivæ
Quam propè Dantiſcum tradit OLIVA, refers.

Tu,

Tu, TRESCHENBERGI, *Montes* colleſque Segeſtâ
(Hinc *tritura* ferax) luxuriare facis.
Tu, BECKHERE, comes Genitoribus addite pacis
Juveris, ut creſcat pondere *piſta Ceres*.
O Proceres, Proceres, quantô felicitat auctu
Veſtrâ frequens patrium ſollicitudo ſolum!
Vos canet hæc tellus, dum fixa ſub æthere ſtabit:
Vos amat, ut *Natos*: Vos colit illa *Patres*:
Gloria veſtra recens æternâ *fronde* virebit.
Veſtra ſupra *Montes* Nomina Fama vehet.

Numus Nuptialis,

Nobili, Spectabili, Doctiſſimoque

DN. GEORGIO BECHERO,

Civit. Elbing. Secretario, ducenti

ANNAM ELISABETAM PFENNINGIAM,

In boni Ominis ſignum ſignatus in Officina *Apollinis. An.* 1660. 16. *Auguſt.*

I.

Autor Numi Nuptialis.

Dum, Neonymphe, tuos intrat *Pfenningia* lectos,
In thalamum, pretio grande, Numiſma venit.
Quod non ferventi ſignavit *Mulciber* antrô;
Sed, faber excellens arte, *Cupido* dedit.
Hinc patet, hôc thalami *Numos* autore jugales
Signari rectè, ſi benè ſignet *Amor*.
Ergò nec accendat veſtros face Lemnius ignes:
Inflammet calidô corda *Cupido* focô.

2.

Pretium Numi *Nuptialis.*

Quod quis vile putat; minimè facit ipſe *terunci* *
Sic veteri poſitum dicere more fuit.
Non tamen in quovis valet iſta parœmia *Numo.*
Numulus & pretio nobiliore datur.
Sponſus habet *Numum*, quem commutare talentô,
Et cunctô Crœſi divitis ære negat.

* *Nec jam illum* teruncii *faciunt.* Plaut. in Captiv.

3

Uſus Numi Nuptialis.

Sunt, quibus unum opus eſt *argenti* cogere maſſas:
Auriflui ciſtis condere grana Tagi.
Hunc *Luſitanas* cernes componere *minas*:
Sed *Roſa* multùm illi *Nobilis Angla* placet.
Iſte *Coronatos Gallorum* colligit arcâ.
Ungaricas alius ſtipat avarus opes.
Talia non Sponſus cumulare *numiſmata* ſudat:
Huic *Numum* fervens eſt tenuiſſe labor.
Non tamen eſt vilis *Numi* tam nobilis uſus:
Plus parit, ac prægnans aurifodina, boni.

In Effigiem

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI *Domini, Domini*,

VLADISLAI DE NAGLOWICE REY,

Theſaurarii Curiæ Regni Poloniæ, Regin ılis Majeſtatis Cancellarii. &c. &c. An. 1660.

Quem dedit *Hero*, Frontis Natura decorem,
Hunc pinxit graphicâ dædalus arte color.
Æmula ſpirantem ſic monſtrat Linea Vultum,
Ut miremur *Opus*; ſed magè Mentis *Opes*.
Pectus *Apollo* tuum pingat, ceu pinxit *Apelles*
Sinciput; haud fueris tunc *Homo, Divus* eris.

Ad

Ad Illuſtre Generoſiſſimorum Fratrum Par,

DN. ADAMUM & DN. STANISLAUM DE DUNIN KAROICE KARVICKY.

Anno 1661.

Quis potis heſternæ condigna rependere cœnæ
  Præmia, quam Virtus *Karviciana* dedit?
Me blando excepit *Fratrum Par Nobile* vultu,
  Et poſuit lautas *Stirps Generoſa* dapes.
Fercula diſpoſitas cingebant ordine menſas;
  Fercula, quæ fuerant vel Jove digna ſatis.
Quas Diana feras ſylvis indagat & agris,
  Quas Thetys Druſi larga miniſtrat aquis:
Quod parat artocreas doctô conamine piſtor;
  Quas vendit dulces pharmacopæus opes:
Quod venit optato Rheni de limite Nectar,
  Quodque ſuô tellus fundit Ibera ſinu:
Omnia Convivæ ridebant iſta palato;
  Omnibus his pavit ſe gula noſtra cibis.
Scilicet hos tantos heſternus veſper honores
  Contulit: O multis veſpera fœta bonis!
Non licet hîc dignas verſu depromere grates:
  Excedunt vires hæc benefacta meas.
Hoc unum ſupereſt, quod poſſum dicere, *Grates*:
  Si ſatis eſt, *Grates* dicere; *Gratus* ero.

Ad Humaniſſimum & Doctiſſimum

DN. JOHANNEM PIPER,

Amicum colendum.

Complacuit Cœnæ nobis heſterna voluptas:
  Nam *piper* hîc præſens, & quoque *Piper* erat.

Nobiliſſ. & Doctiſſimo

DN. FABIANO HORNIO,

Amico ſingulariter colendo.

Dum mihi Gymnaſii ſunt publica commoda curæ.
  Et Muſas ſtudiô tractô calente meas:
Miſta Thetis Cereri noſtros replet, ecce, Penates.
  Atque cupit Muſis ſe ſociare meis.

Vas ubi conſpicio, capit admiratio mentem ;
  Quâ veniunt, quæro, munera miſſa domô ?
Hornius, acclamat mihi bajulus : *Hornius*, inquit,
  Hæc jûſſit cellæ dolia ferre tuæ.
Protinus exultans, *ô ſalveat Hornius* ! ajo :
  Salveat Aonii floſque decúſque chori !
Dolia mille Ceres cum Najade cocta refundat :
  Horniadenque boni Dîque Deæque beent !

In Gaudium Nuptiale

Præſtantiſſ. & Doctiſſimi

DN. CHRISTIANI LANGII,

Et

CHRISTINÆ WILMSONIÆ.

An. 1661. *Ian.* 11.

Providus hanc noſtram, *Langi*, circumſpicis Urbem,
  Et ſocio quæris corcula grata toro ?
Num Veneris turbam, mellitáque pectora luſtras,
  Virgineis placeant, quæ tibi rite choris ?
Non malè ſucceſſit Paphii luſtratio cœtûs :
  Incurrit lumen commoda Nympha tuum.
In TRESCHENBERGI fixiſti limina lumen,
  Quem colit eximium Curia noſtra decus.
Hîc cupido mitis *Wilmſonia* cernitur oclo :
  Hanc oculus ſignat, ménſque calenter amat.
Nobilis his igitur Tibi cedit ab ædibus Uxor :
  Uxor deliciis accumulata ſuis,
O gratare tuæ lætanti pectore ſorti,
  Et TRESCHENBERGI percole thure Lares.
Qui tibi dimiſit tectis hanc Cypridos arrham,
  Hunc Tibi Patronum certiùs eſſe putes.

Omen ex Nomine.

Cùm ſibi *Chriſtinam* jungat *Chriſtjanus* amator,
  Hæc ſine quis *Chriſto* fœdera juncta putet ?

Sales

Sales Poëtici,

Quibus feſtivitatem nuptialem Spectab. & Conſultiſſ.

DN. CONRADI VOIDII

Et.

DOROTHEÆ RADELAUIN,

DN. REINHOLDI von Amſtern/

Civis & Oenopolæ Elbingenſis relictæ Viduæ, condire valuit Autor. An. 1661. *Ian.* 18.

I.

Terent. in Eunucho.

Sine Cerere & Libero *friget* Venus.

Quod ſine Thyrſigeri ſucco, Cereríſque caniſtris,
Luxurians rarò, frigeat alma Venus:
Hoc ſatìs exactâ perpendere lance videtur
Sponsus, legiferâ quem beat arte Themis.
Hinc cupiens Veneris ſuâ ſubdere colla capiſtro,
Vitiferum attendit, Spiciferâmque Deos.
Et velut attendit; ſic junctim repperit omnes:
Scilicet eſt felix *Amſteriana Venus.*
Hæc habet, & *Bacchi* divendit limine rorem:
Jungitur huîc propiùs *Nehmia* grata *Ceres.*
Non igitur poterit frigeſcere fervor amoris,
Quem proles Semeles, quemque Segeſta ciet.
Utere, quâ Divi mactant Te ſorte faventes;
Et caleant, pulſo frigore, corda diu!

Muſarum promtitudo.

Ad thalami veniunt tædas, conſulte *Voidi,*
Novena lætarum Camenarum cohors.
Cur adeò properant Muſæ concurrere feſto?
An quod *Voidium* hunc *Ovidium* exiſtimant.

Voidii & Ovidii *amantium Diſſimilitudo.*

Mens Ovidî quondam calidô flagravit amore;
Artémque Amandi ſcripſit Autor fervidus.
Nunc urit pectus Veneris ſcintilla *Voidî*:
Sed ille condet haut *libros*; ſed *liberos.*

Ad DN. SPONSUM.

De vitro inaurato, quod præ foribus Sponſæ, vice hederæ ſuſpenſæ, in tabulâ pictum conſpicitur.

Quî fit, qùod Sponſo *Rodelavia* jungitur Uxor ?
Cur hæc præ reliquis Sponſa petita placet ?
Vulgari poſthac vitrô potare recuſat :
Poſt bibet *auratô* dulciùs ipſe *Scyphô*.

De Eodem.

Viderat *Amſteriam* ſocio ſine Compare Sponſus
In viduo vitæ ducere fila ſtatu :
Non, ait, hocce bonum eſt : *Ganymedis* munere fungar,
Fundens *auratô* limpida vina *vitrô*.

Aliud.

Protinus ex animo furtiva moleſtia cedit,
Libera ſi *vitrô ſimplice* vina bibas.
Lætior *auratis* ſurgit vis pectore pôclis.
Aurum lætificat lætificatque *merum*.

Clio Epigrammatica,

Quâ Reverendo & Doctiſſimo

DN. ANDREÆ GAILIO,

Paſtori Lindenovienſi, & Virgini caſtiſſimæ,

HELENÆ SANDIN,

Viri Spectabilis & Honorati

DN. JOHANNIS SANDII

Filiæ, Sacra Nuptiarum Solennia Morungæ celebraturis, gratulatur Autor. An. 1661. *Mart.* 8.

I.

Poſt. Nubila Jubilum.

Sponſe, tuum quondam Tellus hæc Pruſſica Fratrem *
Druſiaco tumulum vidit obire ſolô.

Lætior

Lætior eſt hodie; thalami Te fœdera poſtquam
In *Morunganis* pangere cernit agris.

* *Henricus Gailius, Sileſ. J. U. C. obiit Elbingæ An.* 1664. *Mart.* 24.

2.

Torus Fertilis.

Gailius, in Themidos *praxi* celeberrimus Autor.
Utilibus ſcripſit *practica* jura notis.
Gailius hic noſter celebrans nunc Cypridos ignes,
Proliferæ meritò praxeos Autor erit.

3.

Tagus Pruſſicus.

Auricolor nitidas volvit Tagus amnis *arenas*,
Qui fuit *Hiſpanis* concelebratus aquis.
Sed magis eximias aurô largitur *Arenas*
Pruſſia: quod Sponſo *Sandia** teſtis erit.

* *Sandia, à Sand dicta*, arenam *notat.*

4.

Ancora Amoris.

Sponſa ſuum quamvis nomen derivet *arenâ*;
Ejus *arenoſus* non tamen exſtat amor.
Non in *arenoſô* figenda eſt ancora fundo:
Fundetur tutô menſque fideſque ſolô.

5.

Fœcunditas Thalami.

Cùm *pinguis* ſterilem fimus exſaturavit *arenam*,
Tum vi fœcundâ lætificatur *humus*.
Quis neget, hunc thalamum poſthac fore meſſe feracem?
Sponſus *pinguefacit*,* Sponſáque præſtat *humum*.

* *Gailius, quaſi* geil/ *id eſt, pinguis.*

6.

Donum Pallados.

Diva favens *Helenam* Paridi *Venus* obtulit olim,
Quâ non in toto pulchrior Orbe fuit.
Nunc *Helena* offertur pariter Tibi, Sponſe; ſed illa
Non *Venere*, at dono *Pallade* miſſa venit.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ. Viris

DN. SAMUELI BARNERO,

Et

DN. CAROLO RAMSÆO,

In ordinem Conſularem lectis. An. 1665.

Sic hodierna dies Vobis decernit honores,
  Nobile BARNERI RAMSONIDÆQUE decus.
Inclyta Nobilium debetur gloria fronti:
  Jure beat doctos dexter Apollo Viros.
Egregii Patriæ Cives, & ſplendida Phœbi
  Lumina, jure ſuo tanta brabéa ferunt.
Hinc neque demiror, Veſtrum quod Curia Nomen,
  Evehat in Patrum, florida Biga, gregem.
Talia commeruit dudum donaria Virtus,
  Veſter honos faſces dignus habere fuit.
Sæpè ſciens dixi: degit propè limina Patrum
  Barnerus; prudens mox erit ipſe Pater.
Sæpè etiam tales fundebam gutture voces:
  Ramſæus Patrum ſede locandus erit.
Quod mihi præſagit quondam mens provida Vati:
  Hoc probat eventu lux hodierna ſuô.
Scilicet ætheriô venerunt Munia nutu:
  Curia *Barnerum Ramſonidenque* vocat.
Scandite Druſiaci conſulta palatia tecti,
  Scandite prudentes, inclyta Biga, Viri.
Accipiat felix oblatos dextera faſces,
  Quos *Deus*, & *Patres*, quos & *Apollo* dedit.
Commoda curetis Patriæ, Muſaſque novenas:
  A Muſis etenim Sparta novella venit.
Non ſine Muſarum dignus fit dote Senator:
  Muſa facit Patres: O beet haſce Pater!
Si *Themidos Phœbíque* decus promoverit ardor.
  Tum vos laude feret *Phœbus*; honore *Themis*.

In

In Villam

Nobiliſſ. Spectatiſſ. ac Doctiſſ. Viri

DN. ALEXANDRI JUNG-SCHULTZII.

Anno 1661.

Eſt *Jungſchultziada* non ultima gloria Villæ ;
Et lætum cingit gratia multa locum.
Exhibet occiduus pomaria florida Titan ;
Sol cœlô medius monſtrat ab urbe decus.
Quà Cynoſura nitet, campi monteſque minantur :
Lætior eſt lateris, quà patet ortus, honor,
Hîc piſcina ſuis blanditur amabilis undis :
Poſt undas campus, ſylvaque denſa virent.
Huîc Villæ multam voveo ſcriboque ſalutem :
Et Villam, & Villæ JOVA ſecundet Herum.

Lacrymæ Exequiales

In obitum Nobiliſs. Ampliſs. Conſultiſs.

DN. GEORGII LARDINGI, *Coſ.*

de patria Elbing Repub, optimè meriti & emeriti fuſæ. Anno 1661.

In Clarios truculenta furit Libitina Patronos,
Et rapit inſignes nobilitate Viros.
Haud fuit illorum poſtremus in ordine Fautor
Lardingus, Phœbi gloria ; noſter amor.
Hunc igitur lugent Muſæ : lugemus & ipſi ;
Et fluit undanti fletus utrinque ſalô.
Vertitur in lacrymas totus fons Phorcidos udas :
Verſaque ſunt lacrymis lumina noſtra meris.

Officium Extremum Epigrammaticum,

Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo

DN. MICHAELI SIEFERTO,

Præ-Conſuli meritiſſimo,

Patrono ſuo, inſtar Patris, dum viveret, colendo exhibitum. An. 1661.

1.

Magnificæ laudes, effuſáque flumina fletûs
Debentur feretro, *Magne Siferte*, tuo.
Noſtra quidem manat lacrumis; ſed fundere laudes;
Muſa nequit: lacrymis nam mea Muſa natat.

2.

Nomine non unô *Sieferti* funere fletur:
Quæ mihi lugendi cauſa ſit, ipſe loquar.
Lugeo *Sieferto velut* in Præ-Cônſule *Patrem*:
Filius ut *Patrem*; ſic Ego plango *Virum*.

3.

Francfurtum lacrymis; *Druſis, Colbergáque* certant,
Urbes diverſâ tres regione ſitæ.
Namque peregrinis *geminus* flet *Filius* oris:
Conjuge cum mœſta flet pia *Nata* domi.

4.

Qui *Pater* adfectu fuit, exit Druſide vitâ:
Warſoviæ *Frater* ſed mihi peſte perit.
Huîc oculus lacrymas unus; ſed funditat illi
Alter: & ut plures, certat uterque, fluant.

LETHALE LÆTARE,

Quod Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. MARTINUS RICHTERUS,

Conſul Reip. Elbing. meritiſſimus, Neſtor venerandus, Uxorem defunctam, ipſâ Dominicâ LÆTARE, *humi condens celebrabat. An.* 1662.

Sleſiaci, RICHTERE, ſôli venerabile Germen,
Druſiacóque Pater, canus honore, ſolô:
Exequias hodie ducis, caſſúmque Maritæ
Corpus humô nigrâ contumulare jubes.

It-

It comes illacrymans Genetricis funere Proles;
Et ſua cum planctu triſtia fata gemit.
Sic licet hîc multi *lætum* LÆTARE celebrent;
Tu *lethale* tamen pectore vulnus alis.

Gratulatio

Ad Magnificum, Ampliſſ. Conſultiſſ. VIRUM,

DN. DANIELEM MEIENREISIUM,

Præ-Cos. Reip. Patr. nuncupatum. An. 1662. *Mart.* 21.

1.
Subdita Muſæ Perſeverantia.

CONSULIS impoſitos gratabar carmine faſces,
Cùm legeret Patrum Te ſacer ordo Patrem:
Nec Tibi nunc grater pariter PRÆ-CONSULIS ampla
Munia, quæ Procerum mandat obire Chorus?
Cùm fieres CONSUL, Tibi ſubdita Muſa canebat:
Nunc ſis PRÆ-CONSUL; ſubdita Muſa redit.

2.
Indiſſolubilis Honoris & Oneris nexus.

En! *Deus* atque *Dies onerat* Te, & faſcibus *ornat*
Conſulis: it parili *lauſque labóſque* pede.
Creſcit *onus*, dum creſcit *honos*: ſed *pellat* amaras,
Qui *pollet*, curas: *aſtus* & *æſtus* eant:
Dicente ac *ducente* Deô ſuperaveris omne:
Hic ad *vota* Tibi mollia *fata* dabit.

Decas Epigrammatum,
Quibus Generoſo, Magnifico, Excellentiſſ. VIRO,

DN. JOACHIMO PASTORIO AB HIRTENBERG,

Sacræ Regiæ Pol. & Suec. Majeſtati à Secretis & Hiſtoriis &c.

Dignitatem Equeſtrem
Regis Sereniſſimi Auſpiciô,
Senatorum Illuſtriſſ. Conſiliô,
Nobilitatis Univerſæ Suffragiô
Collatam
Applaudens gratulatur F. H.

I.

Ingreſſus.

Ad Virum Magnificum.

Vir Generoſe fave, titulum dum grator *equeſtrem:*
Carmine gratari Muſa *pedeſtris* avet.

2.

Poloniæ Gratitudo.

Florentes quondam *Floro** PASTORIUS ingens
Depinxit laudes, Sarmata magne, tuas.
Sed nunc Hiſtoricos penſat Gens grata labores,
Florentem reddens *Nobilitate* Virum.

* *Florus Polonicus, continens Epitomen Hiſtoriæ Polonicæ editus eſt Lugd. Bat. An.* 1641.

3.

Polonia honorantes ſeſe honorat.

Lucius Annæus Florus deſcripſerat olim
Romulidûm librô publica geſta brevi.
Sarmatici Populi *Florum* PASTORIUS edit:
Hinc *lucem* atque *annos* Gens generoſa capit.
Sarmata tanta ſuo *Floro* benefacta rependit,
Cuî *lucem* atque *annos* Nobilitate parit.

4.

Arte & Marte,
Ad Virum Nobiliſſimum.

Nobilium Clariâ pandebas Arte *Palæſtram:**
Jam Tibi *Nobilium*, Marte *Palæſtra* patet.

* *Palæſtra Nobilium, ſeu Conſilium de Generoſorum, Adoleſcentum Polonorum Educatione prodiit Elbingæ, An.* 1654.

5.

Polonia nobilitandô nobilitatur.
Ad Virum Generoſum.

Nobilitas Regnum Scriptis: hinc *nobile* Regnum,
Dum Te *nobilitat*, ſe magè *nobilitat*.

Gene-

6.

Generoſus Generoſi dignus Præco eſt.
Ad Eundem.

Sarmata pugnat *equis* ; deſcribis Codice * pugnas :
Rectè *Equitum* pugnas concelebrabit *Eques.*

* *Hoc Vir Clariſſimus præſtitit tum in Hiſtoria Belli Scythico-Coſacici, Dantiſci typis excuſâ An.* 1652 ; *tum in Bello Moſcovitico, Racociano, Suecico, aliisque Tractatibus in lucem edendis, quos legeſis in Catalogo.*

7.

Triplex Regis & Regni Præmium.
Ad Virum Excellentiſſimum.

Nobile *Paſtoris de Monte* Polonia Nomen ;
Prædia Sarmaticus Rex Tibi culta dedit.
Totaque *Nobilitas Equitis* donavit honorem .
Sic, Maro ſicut, eris *Paſtor, Arator, Eques.*

8.

Duplex ad Nobilitatem Via.

Magnanimi Martis, Phœbique parentis alumni
Nobilis ad fulgens culmen honoris eunt.
Sed tamen haut idem tranſportat utrumque caballus :
Pegaſus hunc ; illum *Bucephalúſque* vehit.

9.

Alluſio ad novum Cognomen Gentilitium.

Per *Mentem* ad *montem* famæ pertingis *equeſtris* :
Mentis erat primus ; *Montis* * it alter honor.

* *Hirtenberg.*

10.

Clauſula.

Paſtorum * doctô cecinit Maro carmine Muſam :
Paſtorî Muſam me cecíniſſe, juvat.

* *Eclog.* 8.

Conjug[illegible]

In juventa vetu[illegible]

Junge ... *ara* [illegible]

Dent[illegible]

Quaeris, qualis ſit[illegible]

Huic *nomen* ap[illegible]

Cornutis & [illegible]

Cornutus modic[illegible]

Hic vexilla [illegible]

Sen[illegible]

Cur *Seneca* * *ſen*[illegible]

Quid mens in l[illegible]

* *Senecam dulcem*, [illegible]

dicta [illegible]

Oculus [illegible]

[illegible] nummos em[illegible]

Dic, utrum an *Ocul*[illegible]

A[illegible]

Qui *facit ſectam* [illegible]

Includit *ſectam*, [illegible]

F[illegible]

Pyramus & *Pri*[illegible]

Judicii eorum p[illegible]

Femina ceu parv[illegible]

Hoſtis *Hic* * e[illegible]

* *Priamus*, *Rex* [illegible]

propt erant [illegible]

† *Pyramus* [illegible]

gladio ſe ipſum [illegible]

[illegible]

Perdix & pern[illegible]

Hic, *idea* v[illegible]

LERUM,
l. Rever.

IUM
ias poſceret.

,

i,
i?

---

is. Ad
ANNUM,

to;

s Aulæ;

L. C.

R N I I,
ſl. n.denati.

C Æ.

s;

n Umbra;

De

2.

Pretium Numi *Nuptialis.*

Quod quis vile putat; minimè facit ipſe *terunci* *
Sic veteri poſitum dicere more fuit.
Non tamen in quovis valet iſta parœmia *Numo.*
Numulus & pretio nobiliore datur.
Sponſus habet *Numum,* quem commutare talentô,
Et cuncto Crœſi divitis ære negat.

* *Nec jam illum* teruncii *faciunt.* Plaut. in Captiv.

3

Uſus Numi Nuptialis.

Sunt, quibus unum opus eſt *argenti* cogere maſſas:
Auriflui ciſtis condere grana Tagi.
Hunc *Luſitanas* cernes componere *minas*:
Sed *Roſa* multùm illi *Nobilis Angla* placet.
Iſte *Coronatos Gallorum* colligit arcâ.
Ungaricas alius ſtipat avarus opes.
Talia non Sponſus cumulare *numiſmata* ſudat:
Huîc *Numum* fervens eſt tenuiſſe labor.
Non tamen eſt vilis *Numi* tam nobilis uſus:
Plus parit, ac prægnans aurifodina, boni.

In Effigiem

ILLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI *Domini, Domini,*

VLADISLAI DE NAGLOWICE REY,

Theſaurarii Curiæ Regni Poloniæ, Regiæ lis Majeſtatis Cancellarii. &c. &c. An. 1660.

Quem dedit *Hero*, Frontis Natura decorem,
Hunc pinxit graphicâ dædalus arte color.
Æmula ſpirantem ſic monſtrat Linea Vultum,
Ut miremur *Opus*; ſed magè Mentis *Opes.*
Pectus *Apollo* tuum pingat, ceu pinxit *Apelles*
Synciput; haud fueris tunc *Homo, Divus* eris.

Ad

Ad Illuſtre Generoſiſſimorum Fratrum Par,

DN. ADAMUM & DN. STANISLAUM DE DUNIN KAROICE KARVICKY.

Anno 1661.

Quis potis heſternæ condigna rependere cœnæ
Præmia, quam Virtus *Karviciana* dedit?
Me blando excepit *Fratrum Par Nobile* vultu,
Et poſuit lautas *Stirps Generoſa* dapes.
Fercula diſpoſitas cingebant ordine menſas;
Fercula, quæ fuerant vel Jove digna ſatis.
Quas Diana feras ſylvis indagat & agris,
Quas Thetys Druſi larga miniſtrat aquis:
Quod parat artocreas doctô conamine piſtor;
Quas vendit dulces pharmacopæus opes:
Quod venit optato Rheni de limite Nectar,
Quodque ſuô tellus fundit Ibera ſinu:
Omnia Convivæ ridebant iſta palato;
Omnibus his pavit ſe gula noſtra cibis.
Scilicet hos tantos heſternus veſper honores
Contulit: O multis veſpera fœta bonis!
Non licet hîc dignas verſu depromere grates:
Excedunt vires hæc benefacta meas.
Hoc unum ſupereſt, quod poſſum dicere, *Grates*:
Si ſatis eſt, *Grates* dicere; *Gratus* ero.

Ad Humaniſſimum & Doctiſſimum

DN. JOHANNEM PIPER,

Amicum colendum.

Complacuit Cœnæ nobis heſterna voluptas:
Nam *piper* hîc præſens, & quoque *Piper* erat.

Nobiliſſ. & Doctiſſimo

DN. FABIANO HORNIO,

Amico ſingulariter colendo.

Dum mihi Gymnaſii ſunt publica commoda curæ.
Et Muſas ſtudiô tracto calente meas:
Miſta Thetis Cereri noſtros replet, ecce, Penates.
Atque cupit Muſis ſe ſociare meis.

Vas ubi conſpicio, capit admiratio mentem ;
 Quâ veniunt, quæro, munera miſſa domô ?
Hornius, acclamat mihi bajulus : *Hornius*, inquit,
 Hæc jûſſit cellæ dolia ferre tuæ.
Protinus exultans, *ô ſalveat Hornius* ! ajo :
 Salveat Aonii floſque decúſque chori !
Dolia mille Ceres cum Najade cocta refundat :
 Horniadenque boni Dîque Deæque beent !

In Gaudium Nuptiale

Præſtantiſſ. & Doctiſſimi

DN. CHRISTIANI LANGII,

Et

CHRISTINÆ WILMSONIÆ.

An. 1661. *Ian.* 11.

Providus hanc noſtram, *Langi*, circumſpicis Urbem,
 Et ſocio quæris corcula grata toro ?
Num Veneris turbam, mellitáque pectora luſtras,
 Virgineis placeant, quæ tibi rite choris ?
Non malè ſucceſſit Paphii luſtratio cœtûs :
 Incurrit lumen commoda Nympha tuum.
In TRESCHENBERGI fixiſti limina lumen,
 Quem colit eximium Curia noſtra decus.
Hîc cupido mitis *Wilmſonia* cernitur oclo :
 Hanc oculus ſignat, ménſque calenter amat.
Nobilis his igitur Tibi cedit ab ædibus Uxor :
 Uxor deliciis accumulata ſuis,
O gratare tuæ lætanti pectore ſorti,
 Et TRESCHENBERGI percole thure Lares.
Qui tibi dimiſit tectis hanc Cypridos arrham,
 Hunc Tibi Patronum certiùs eſſe putes.

Omen ex Nomine.

Cùm ſibi *Chriſtinam* jungat *Chriſtjanus* amator,
 Hæc ſine quis *Chriſto* fœdera juncta putet ?

Sales Poëtici,

Quibus feſtivitatem nuptialem Spectab. & Conſultiſſ.

DN. CONRADI VOIDII

Et.

DOROTHEÆ RADELAUIN,

DN. REINHOLDI von AMSTERN/

Civis & Oenopolæ Elbingenſis relictæ Viduæ, condire valuit Autor. An. 1661. *Ian.* 18.

I.

Terent. in Eunucho.

Sine Cerere & Libero *friget* Venus.

Quod ſine Thyrſigeri ſucco, Cereríſque caniſtris,
 Luxurians raro, frigeat alma Venus:
Hoc ſatìs exactâ perpendere lance videtur
 SPONSUS, legiferâ quem beat arte Themis.
Hinc cupiens Veneris ſua ſubdere colla capiſtro,
 Vitiferum attendit, Spiciferámque Deos.
Et velut attendit; ſic junctim repperit omnes:
 Scilicet eſt felix *Amſteriana Venus.*
Hæc habet, & *Bacchi* divendit limine rorem:
 Jungitur huîc propiùs *Nehmia* grata *Ceres.*
Non igitur poterit frigeſcere fervor amoris,
 Quem proles Semeles, quemque Segeſta ciet.
Utere, quâ Divi mactant Te ſorte faventes;
 Et caleant, pulſo frigore, corda diu!

Muſarum promtitudo.

Ad thalami veniunt tædas, conſulte *Voidi,*
 Novena lætarum Camenarum cohors.
Cur adeò properant Muſæ concurrere feſto?
 An quod *Voidium* hunc *Ovidium* exiſtimant.

Voidii & Ovidii *amantium Diſſimilitudo.*

Mens Ovidî quondam calidô flagravit amore;
 Artémque Amandi ſcripſit Autor fervidus.
Nunc urit pectus Veneris ſcintilla *Voidî*:
 Sed ille condet haut *libros*; ſed *liberos.*

Ad DN. SPONSUM.

De vitro inaurato, quod præ foribus Sponſæ, vice hederæ ſuſpenſa, in tabulâ pictum conſpicitur.

Quî fit, qùod Sponſo *Rodelavia* jungitur Uxor ?
Cur hæc præ reliquis Sponſa petita placet ?
Vulgari poſthac virrô potare recuſat :
Poſt bibet *auratô* dulciùs ipſe *Scyphô*.

De Eodem.

Viderat *Amſteriam* ſocio ſine Compare Sponſus
In viduo vitæ ducere fila ſtatu :
Non, ait, hocce bonum eſt : *Ganymedis* munere fungar,
Fundens *auratô* limpida vina *vitrô*.

Aliud.

Protinus ex animo furtiva moleſtia cedit,
Libera ſi *vitrô ſimplice* vina bibas.
Lætior *auratis* ſurgit vis pectore pôclis.
Aurum lætificat lætificatque *merum*.

Clio Epigrammatica,

Quâ Reverendo & Doctiſſimo

DN. ANDREÆ GAILIO,

Paſtori Lindenovienſi, & Virgini caſtiſſimæ,

HELENÆ SANDIN,

Viri Spectabilis & Honorati

DN. JOHANNIS SANDII

Filiæ, Sacra Nuptiarum Solennia Morungæ celebraturis, gratulatur Autor. An. 1661. *Mart.* 8.

I.

Poſt Nubila Jubilum.

Sponſe, tuum quondam Tellus hæc Pruſſica Fratrem
Druſiaco tumulum vidit obire ſolô.

Lætior

Lætior eſt hodie; thalami Te fœdera poſtquam
In *Morunganis* pangere cernit agris.

* *Henricus Gailius, Siles. J. U. C. obiit Elbingæ An.* 1664. *Mart.* 24.

2.
Torus Fertilis.

Gailius, in Themidos *praxi* celeberrimus Autor.
Utilibus ſcripſit *practica* jura notis.
Gailius hic noſter celebrans nunc Cypridos ignes,
Proliferæ meritò praxeos Autor erit.

3.
Tagus Pruſſicus.

Auricolor nitidas volvit Tagus amnis *arenas*,
Qui fuit *Hiſpanis* concelebratus aquis.
Sed magis eximias aurô largitur *Arenas*
Pruſſia: quod Sponſo *Sandia** teſtis erit.

* *Sandia, à Sand dicta*, arenam *notat*.

4.
Ancora Amoris.

Sponſa ſuum quamvis nomen derivet *arenâ*;
Ejus *arenoſus* non tamen exſtat amor.
Non in *arenoſo* figenda eſt ancora fundo:
Fundetur tutô menſque fideſque ſolô.

5.
Fœcunditas Thalami.

Cùm *pinguis* ſterilem fimus exſaturavit *arenam*,
Tum vi fœcundâ lætificatur *humus*.
Quis neget, hunc thalamum poſthac fore meſſe feracem?
Sponſus *pinguefacit*,* Sponſáque præſtat *humum*.

* *Gailius, quaſi* geil/ *id eſt, pinguis.*

6.
Donum Pallados.

Diva favens *Helenam* Paridi *Venus* obtulit olim,
Quâ non in toto pulchrior Orbe fuit.
Nunc *Helena* offertur pariter Tibi, Sponſe; ſed illa
Non *Venere*, at dono *Pallade* miſſa venit.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ. Viris

DN. SAMUELI BARNERO,

Et

DN. CAROLO RAMSÆO,

In ordinem Conſularem lectis. An. 1665.

Sic hodierna dies Vobis decernit honores,
  Nobile BARNERI RAMSONIÆQUE decus.
Inclyta Nobilium debetur gloria fronti:
  Jure beat doctos dexter Apollo Viros.
Egregii Patriæ Cives, & ſplendida Phœbi
  Lumina, jure ſuo tanta brabéa ferunt.
Hinc neque demiror, Veſtrum quod Curia Nomen,
  Evehat in Patrum, florida Biga, gregem.
Talia commeruit dudum donaria Virtus,
  Veſter honos faſces dignus habere fuit.
Sæpè ſciens dixi: degit propè limina Patrum
  Barnerus; prudens mox erit ipſe Pater.
Sæpè etiam tales fundebam gutture voces:
  Ramſæus Patrum ſede locandus erit.
Quod mihi præſagit quondam mens provida Vati:
  Hoc probat eventu lux hodierna ſuô.
Scilicet ætheriô venerunt Munia nutu:
  Curia *Barnerum Ramſonidenque* vocat.
Scandite Druſiaci conſulta palatia tecti,
  Scandite prudentes, inclyta Biga, Viri.
Accipiat felix oblatos dextera faſces,
  Quos *Deus*, & *Patres*, quos & *Apollo* dedit.
Commoda securetis Patriæ, Muſaſque novenas:
  A Muſis etenim Sparta novella venit.
Non ſine Muſarum dignus fit dote Senator:
  Muſa facit Patres: O beet haſce Pater!
Si *Themidos Phœbíque* decus promoverit ardor:
  Tum vos laude feret *Phœbus*; honore *Themis*.

In

In Villam

Nobiliſſ. Spectatiſſ. ac Doctiſſ. Viri

DN. ALEXANDRI JUNG-SCHULTZII.

Anno 1661.

Eſt *Jungſchultziada* non ultima gloria Villæ;
 Et lætum cingit gratia multa locum.
Exhibet occiduus pomaria florida Titan;
 Sol cœlô medius monſtrat ab urbe decus.
Quà Cynoſura nitet, campi monteſque minantur:
 Lætior eſt lateris, quà patet ortus, honor.
Hîc piſcina ſuis blanditur amabilis undis:
 Poſt undas campus, ſylvaque denſa virent.
Huîc Villæ multam voveo ſcriboque ſalutem:
 Et Villam, & Villæ JOVA ſecundet Herum.

Lacrymæ Exequiales

In obitum Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. GEORGII LARDINGI, *Coſ.*

de patria Elbing Repub, optimè meriti & emeriti fuſæ. Anno 1661.

In Clarios truculenta furit Libitina Patronos,
 Et rapit inſignes nobilitate Viros.
Haud fuit illorum poſtremus in ordine Fautor
 Lardingus, Phœbi gloria; noſter amor.
Hunc igitur lugent Muſæ: lugemus & ipſi;
 Et fluit undanti fletus utrinque ſalô.
Vertitur in lacrymas totus fons Phorcidos udas:
 Verſaque ſunt lacrymis lumina noſtra meris.

Officium Extremum Epigrammaticum,

Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo

DN. MICHAELI SIEFERTO,

Præ-Conſuli meritiſſimo,

Patrono ſuo, inſtar Patris, dum viveret, colendo exhibitum. An. 1661.

1.

Magnificæ laudes, effuſaque flumina fletûs
Debentur feretro, *Magne Siferte*, tuo.
Noſtra quidem manat lacrumis; ſed fundere laudes;
Muſa nequit: lacrymis nam mea Muſa natat.

2.

Nomine non unô *Sieferti* funere fletur:
Quæ mihi lugendi cauſa ſit, ipſe loquar.
Lugeo *Sieferto velut* in Præ-Conſule *Patrem*:
Filius ut *Patrem*; ſic Ego plango *Virum.*

3.

Francfurtum lacrymis, *Druſis*, *Colbergáque* certant,
Urbes diverſâ tres regione ſitæ.
Namque peregrinis *geminus* flet *Filius* oris:
Conjuge cum mœſta flet pia *Nata* domi.

4.

Qui *Pater* adfectu fuit, exit Druſide vitâ:
Warſoviæ *Frater* ſed mihi peſte perit.
Huic oculus lacrymas unus; ſed funditat illi
Alter: & ut plures, certat uterque, fluant.

LETHALE LÆTARE,

Quod Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. MARTINUS RICHTERUS,

Conſul Reip. Elbing. meritiſſimus, Neſtor venerandus, Uxorem defunctam, ipſâ Dominicâ LÆTARE, *humi condens celebrabat. An.* 1662.

Sleſiaci, RICHTERE, ſoli venerabile Germen,
Druſiacóque Pater, canus honore, ſolô:
Exequias hodie ducis, caſſúmque Maritæ
Corpus humô nigrâ contumulare jubes.

It-

It comes illacrymans Genetricis fūnere Proles;
Et ſua cum planctu triſtia fata gemit.
Sic licet hîc multi *lætum* LÆTARE celebrent;
Tu *lethale* tamen pectore vulnus alis.

Gratulatio

Ad Magnificum, Ampliſſ. Conſultiſſ. VIRUM,

DN. DANIELEM MEIENREISIUM,

Præ-Cos. Reip. Patr. nuncupatum. An. 1662. *Mart.* 21.

1.

Subditæ Muſæ Perſeverantia.

CONSULIS impoſitos gratabar carmine faſces,
Cùm legeret Patrum Te ſacer ordo Patrem:
Nec Tibi nunc grater pariter PRÆ-CONSULIS ampla
Munia, quæ Procerum mandat obire Chorus?
Cùm fieres CONSUL, Tibi ſubdita Muſa canebat:
Nunc ſis PRÆ-CONSUL; ſubdita Muſa redit.

2.

Indiſſolubilis Honoris & Oneris nexus.

En! *Deus* atque *Dies onerat* Te, & faſcibus *ornat*
Conſulis: it parili *lauſque labóſque* pede.
Creſcit *onus*, dum creſcit *honos*: ſed *pellat* amaras,
Qui *pollet*, curas: *aſtus* & *æſtus* eant:
Dicente ac *ducente* Deô ſuperaveris omne:
Hic ad *vota* Tibi mollia *fata* dabit.

Decas Epigrammatum,

Quibus Generoſo, Magnifico, Excellentiſſ. VIRO,

DN. JOACHIMO PASTORIO AB HIRTENBERG,

Sacræ Regiæ Pol. & Suec. Majeſtati à Secretis & Hiſtoriis &c.

Dignitatem Equeſtrem

Regis Sereniſſimi Auſpiciô,
Senatorum Illuſtriſſ. Conſiliô,
Nobilitatis Univerſæ Suffragiô
Collatam
Applaudens gratulatur F. H.

1.

Ingreſſus.

Ad Virum Magnificum.

Vir Generoſe fave, titulum dum grator *equeſtrem*:
Carmine gratari Muſa *pedeſtris* avet.

2.

Poloniæ Gratitudo.

Florentes quondam *Floro* * PASTORIUS ingens
Depinxit laudes; Sarmata magne, tuas.
Sed nunc Hiſtoricos penſat Gens grata labores,
Florentem reddens *Nobilitate* Virum.

* *Florus Polonicus, continens Epitomen Hiſtoriæ Polonicæ editus eſt Lugd. Bat. An.* 1641.

3.

Polonia honorantes ſeſe honorat.

Lucius Annæus Florus deſcripſerat olim
Romulidûm librô publica geſta brevi.
Sarmatici Populi *Florum* PASTORIUS edit:
Hinc *lucem* atque *annos* Gens generoſa capit.
Sarmata tanta ſuo *Floro* benefacta rependit,
Cuî *lucem* atque *annos* Nobilitate parit.

4.

Arte & Marte,
Ad Virum Nobiliſſimum.

Nobilium Clariâ pandebas Arte *Palæſtram*: *
Jam Tibi *Nobilium*, Marte *Palæſtra* patet.

* *Palæſtra Nobilium, ſeu Conſilium de Generoſorum, Adoleſcentum Polonorum Educatione prodiit Elbingæ, An.* 1654.

5.

Polonia nobilitandô nobilitatur.
Ad Virum Generoſum.

Nobilitas Regnum Scriptis: hinc *nobile* Regnum,
Dum Te *nobilitat*, ſe magè *nobilitat*.

Gene-

6.

Generoſus Generoſi dignus Præco eſt.
Ad Eundem.

Sarmata pugnat *equis* ; deſcribis Codice * pugnas :
Rectè *Equitum* pugnas concelebrabit *Eques.*

* *Hoc Vir Clariſſimus præſtitit tum in Hiſtoria Belli Scythico-Coſacici, Dantiſci typis excuſâ An.* 1652 ; *tum in Bello Moſcovitico, Racociano, Suecico, aliiſque Tractatibus in lucem edendis, quos legeſis in Catalogo.*

7.

Triplex Regis & Regni Præmium.
Ad Virum Excellentiſſimum.

Nobile *Paſtoris de Monte* Polonia Nomen ;
Prædia Sarmaticus REX Tibi culta dedit.
Totaque *Nobilitas Equitis* donavit honorem .
Sic, Maro ſicut, eris *Paſtor, Arator, Eques.*

8.

Duplex ad Nobilitatem Via.

Magnanimi Martis, Phœbique parentis alumni
Nobilis ad fulgens culmen honoris eunt.
Sed tamen haut idem tranſportat utrumque caballus :
Pegaſus hunc ; illum *Bucephalúſque* vehit.

9.

Alluſio ad novum Cognomen Gentilitium.

Per *Mentem* ad *montem* famæ pertingis *equeſtris* :
Mentis erat primus ; *Montis* * it alter honor.

* *Hirtenberg.*

10.

Clauſula.

Paſtorum * doctô cecinit Maro carmine Muſam :
Paſtori Muſam me cecīniſſe, juvat.

* *Eclog.* 8.

Ad Nobiliſs. Excellentiſs. Virum

DN. THEODORUM KETJIS,

Utriuſque Medic. Doct. & Pract. Amſtelodamenſem celeberrimum.

Alluſio ad Nomen.

A Superis traxêre Diis ſua Nomina multi,
 Qui medicis celebres enituêre choris.
Inde *Dioſcorides* * nomen tenet; inde *Diocles*:
 Et tenet inde *Theon*, ac *Theophraſtus* idem.
Hinc *Theodorus* habet, priſcô qui floruit ævô;
 Hinc, *Theodore*, Tibi Nominis exit honor.
Non capit à ſuperis Medicus malè Nomina Divis:
 Eſt Medicus ſapiens alter in Orbe Deus.

* *De hoc & ſequentibus Medicis legatur Syntagma de Med. laud. Orig. &c. Johannis Neandri Bremani.*

De Eodem Viro Excellentiſſimo.

Amſtelodamenſi *Theodorus Ketjis* in Urbe
 Commiſcet doctâ pharmaca ſana manu.
Ipſe poteſt ægros gravibus diſſolvere morbis:
 Cùm vetat hic *Chiron*; nil rapit inde *Charon*.

Ad Nobiliſs. & Clariſs. Virum

DN. GOTOFREDUM FR. FIL. ZAMELIUM

Poët. Coron. Cæſ. Amicum meum honorandum.

Quos PATER Aöniô poſſedit pectore Muſas,
 Intravere caput, GNATE Poëta, Tuum;
Quæque vireſcebat *Friderici* vertice laurus,
 Nunc viret in Veſtris, ô *Gotofrede*, comis:
Carmina Tu cantas *Genitore* & *Apolline* digna,
 Quæ probet, in vivis ſi foret, ipſe *Pater*.
Cùm lego *Zamelium*, lego tum *cimelion* illî:
 Eſt mihi *Zamelius* carmine ζα-μιλικός, *

* ζα, valdè: μιλικός, lyritus.

Ad Reverend. & Clariſſ. Virum

DN. ERASMUM ROTHMALERUM,

Poët. Laur. Cæſ. Cùm is Elbingæ apud pl. Rever. & Clar. Virum

ANDREAM HINNIUM

præſens, tres priores Epigrammatum Centurias poſceret.

Quæ ſucciſivis Epigrammata luſimus horis,
Hîc ſubeunt oculos, doctè Poëta, tuos.
Si *Rothmalero* placeant mea Carmina Vati,
Hunc *rubrô* pingam nonne *colore* diem?

Reſponſum
Ejuſdem Doctiſſimi VIRI,

Delicias ſuas Poëticas viciſſim mihi offerentis. Ad

DN. FRIDERICUM HOFFMANNUM,

Poëtam lepidiſſimum.

Miſiſti Luſus; Tibi Carmina noſtra remitto;
Hoc nihili Donum conſule, quæſò, boni.
Rex Phœbus; Phœbi Tu *Regis* es *Aulicus Aulæ*;
Hoffmanni meritò nobile Nomen habes.
Eraſmus Rothmaler, P. L. C.

In Obitum

Nobiliſſimi ac Doctiſſimi

DN. AMBROSII PARNII,

Patricii Elbingenſis, An. 1662. *d.* 24. *Jun. ſt. n. denati.*

NENIÆ EPIGRAMMATICÆ.

I.
E Nomine Defuncti.

Dum fuit *Ambroſius* vitâ ſpirante ſuperſtes;
Cognatis fragrans exſtitit *Ambra* ſuis.
Sed dum nunc moriens tumuli ſe condit in *Umbra*;
Ambroſius dulcis tranſit in *Umbroſium*.

De

2.

De Tempore Obitûs.

Mors homines perimit, cùm *lux* eſt *noctibus aqua:*
Æquales nocti negligit illa *dies.*
Tempore *Solſtitii* multi quoque morte necantur:
Nec nimiùm *longos* reſpicit illa *dies.*

3.

E Cognomine.

Defunctus titulô geminô clarebat in Orbe:
Ambroſius prior eſt: *Paynius* alter erat.
E mundo poſtquam migrat, ſimul exit ab illo
Ambroſius; reliquus *Paynius** Orbe manet.
* *id eſt*; pœna *& luctus in Superſtitibus.*

4.

Præcedens Epigramma in Rythmos Anglicos tranſlatum.

As Mr. *Ambroſe Payn* went from the world away,
There *Ambroſe* went alone with him from hence, j'ſay:
But Payn did in the hearts yet here with *payns* ſtay:
The bitterneſſe remaind, the Sweetneſſe did decay.

Sylvula Epigrammatica,

Ex Nominibus Gentilitiis Florentiſſimi SPONSORUM.
Paris, Nobilis, Spectatiſſ. & Conſultiſſ.

DN. MARTINI LIWALDI, JCTI.

Peritiſſimi, & Secretarii Elbingenſis digniſſimi:
Et lectiſſimæ Viduæ

ANNÆ RHODIÆ,

Effloreſcens, curâ & cultura F.H.

1.

Impetratio Veniæ.
Ad Dn. Sponſum.

Da veniam: *Cantante* juvat *pede* ludere tecum:
Tu *pede* cum Sponſa lude *jocante* tua.

An-

I I.

Auſpicata Liwaldi *&* Rhodiæ *Copula.*

Sponſa *Roſam :* Sponſus ſignat Cognomine *Sylvam :*
Conſita ſi *Sylvis* ſit *Roſa ,* læta viget.

Nota Liwaldus *Teutonicum eſt ; &* Sylvium
ſive Philo-Sylvium *notat.*

Rhodia *Græcum eſt ; &* Roſeam *ſeu* Roſinam
ſignificat. Nam τὸ ῥόδον , roſa eſt:
ῥόδιος roſeus.

I I I.

Amat ſpina roſas.

Claudian. Od. 3. *Feſcen.*

Hactenus inceſſit Muſarum tramite *Sponſus ;*
Sed *ſpinas* ſenſit dextera peſque graves.
Pieriæ poſtquam ſuperavit vulnera *ſpinæ ,*
Carpit amorifluam captus amore *Roſam.*

I V.

Apollo & Sponſus Rhodias amant.

Diodor. l. 6. *& Myth. N. C. l.* 4. *c.* 10. *de Apolline.*

Lauriger eſt *Rhodiam* complexus Apollo puellam ;
Et Nymphæ flagrans arſit amore Pater.
Dum quoque Tu *Rhodiæ* flammis, *Liwalde,* caleſcis ;
His flammis fies alter Apollo tuis.

V.

Nobis placeant ante omnia Sylvæ.

Virg. Eclog. 2. *v.* 62.

Sola virens placuit Corydoni ante omnia *Sylva :*
Sylvius & *Rhodia* jam ſuper omne placet.

V I.

Hic Rhodus, hic ſaltus

Er. Ch. 3. *C.* 3. *Ad.* 28.

Sponſe , *Rhodia* nunquam *ſaltâſti* corpore præſens ?
En *Rhodia* eſt præſens: hic ſaliiſſe velis.

Sponſa

VII.

Sponſa dictu affabilis.

Non *lapides* rigidos mitis tua Sponſa loquetur:
Sed delectantes promet ab ore *roſas.* *
Nam bona non nocuos profert arbuſcula fructus:
Sponſa bona eſt arbos: eſt *Roſa* Sponſa Tibi.

* *Er. Chil.* 2. *Cent.* 6. *Ad.* 42.

VIII.

Uxor Mariti Solatium.
è Solin. Polyh. cap. 21.

Nulla *Rhodi* lux eſt denſô tam nubila cœlô,
Quin nitidi Solis conſpiciantur equi.
Nulla nec obnubet Sortis vis turbida *Sponſum*:
In *Rhodia* ſemper dulce levamen erit.

IX.

Votum Felicitatis
ex Pindaro.

Ad Dn. SPONSUM.

In felice *Rhodo* quondam pluit aureus imber.
Talis ut in *Rhodia* depluat, opto, Tibi.

Applauſus Epigrammaticus

In fauſtam & feſtam Nominis ſolennitatem Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Domini, Domini,

JOANNIS IGNATII DAKOWSKI,

Succamerarii Culmenſis, Terrarum Pruſiæ Theſaurarii, & Secretarii Regii, ipſo D. Joannis Euangeliſtæ *die, Anno à nato Chriſto* 1662. *celebratam.*

I.

Congratulationis Cauſa:
Ad Dominum Illuſtriſſimum.

Applaudunt Multi TIBI propter nobile *Nomen*:
Propter ego *Numen* nobile plaudo TIBI.

Con-

2.

Congratulandi celeritas.

Contueor *bipedes* gratando coire catervas;
Feſtaque ſplendori dicere verba Tuo.
Turpe foret, noſtram ſimul haut accurrere Muſam:
Cùm *ſenô* & *quinô* docta ſit ire pede.

3.

In prius Nomen
JOHANNES,
Quod Gratioſum *ſignificat.*

Imbuit Aonium dives *Sapientia Pectus:*
Edulcat Nomen *Gratia* blanda Tuum.
Nec mirum: culto reſident in Pectore *Muſæ:*
Sed ſedet in dulci Nomine trina *Charis.*

4.

Alluſio ad Nomen poſterius,
IGNATIUS.

Hactenus extinctô jacuit mea Muſa calore;
Nunc remeat Virtus, & ſuper oſſa calor.
Scilicet accendit nobis IGNATIUS *ignem:*
Hinc redit in Muſas *ignea* vena meas.

5.

Nominum Congruentia.

Non malè conveniunt *Ignatius* atque *Ioannes:*
Sed ſimul *illuſtri* ſtant bene juncta *Viro.*
Ignis ineſt iſti: fluit ex hoc *Gratia* roris:
Illìc *Heroëm* perſpicis; hîcque *Patrem.*

Perilluſtri ac Excellentiſſ.

DN. DN. SIGISMUNDO GULDENSTERN,

Libero Baroni in Lundholm & Fogelwig,
Caſtellaneo Gedanenſi,
Capitaneo Stumenſi,
Hæreditario in Grun- & Licht-felde,
Literarum ac Literatorum Patrono Beneficentiſſimo.

MUSA EPIGRAMMATICA

Decantat

I.

Mecœnatis ſingularem Favorem,

Quô radiat Titan, *Stellarum* maxima, vultu,
Cùm ſurgens atram manè ſerenat humum:
Hôc hanc irradies, O GULDENSTERNE, Camœnam;
Veſtra fuget tenebras AUREA STELLA meas!

2.

Cognominis aureum Splendorem,

Sidereô multæ collucent Æthere *Stellæ*;
Nulla tamen cœlis *aurea Stella* micat.
Aurea ſed terris lucens TUA STELLA videtur;
Sic potiora Polô *Sidera* Terra videt.

3.

Cognominis ſolarem Honorem.

Septeni ſuperô reſplendent axe Planetæ,
Qui vincunt cunctas lucis honore faces.
JUPITER hos inter *Stanno*: fax MARTIS habetur
Conſimilis *ferro*; VENUS alma *cupro*.
SATURNUM ſimilem Chymici ſententia *plumbo*;
Argento vivo MERCURIUMque facit.
Argenti veri candentem LUNA nitorem.
Exprimit: aſt *aurum* SOLIS imago refert.
AUREA STELLA igitur cùm, GULDENSTERNE, voceris;
Non alius, quàm SOL, eſſe *Planeta* potes.

Ad Generoſum & Magnificum VIRUM

DN. ISRAELEM HOPPIUM.

Præ Cos. Seniorem: & Burggrab. Elbing. Regium.

1.

Muſa captat Benevolentiam.

Dum varios adeunt Epigrammata noſtra PATRONOS,
  Tangunt & Veſtras, VIR GENEROSE, fores,
In foribus Veſtris ſperat mea Muſa favorem;
  HOPPIADIS *limen* dat mihi *lumen*, ait.

2.

MUSA *prædicat Beneficentiam.*

Pegaſeus liquidis Fons quondam ebulliit undis;
  Unde bibit dulcem Muſa novena lacum.
Inde *Caballinæ* dici voluêre Camœnæ;
  Hinc *Aganippeæ, Pegaſideſque* Deæ.
Sunt Muſis hodie FAUTORES *fontis* ad inſtar,
  Qui dulci Divas rore favoris alunt.
Talis es, O HOPPI; Mûſæ ſic ergò vocatæ
  Hippiades,* gaudent dicier *Hoppiades*.

* *i. e. equinæ.*

3.

Muſa gratulatur Burggraviatus Eminentiam.

Viderat HOPPIADEN Druſâ Themis Arbitra terrâ
  Tutari Regis publica jura locô:
Nunc mihi Spartanas quantumvis Græcia leges
  Objice, & illa tui jura Solonis, ait.
Si Spartam Elbingæ præfers, jus adſpice utrinque:
  Non illic; dices hîc habitare Dicen.

Mor-

Hortulus Amoris,

Frondibus Maji, & recenti Lupulo conſitus:

Quem in Florentiſſimis Nuptiis Nobiliſſ. Sponſ. Paris,

DN. MICHAELIS MEIENREISII,

ET

JUSTINÆ HOPPIÆ,

Vidua Jungſcuhltzianæ, ſecundùm Sponſorum, epigrammaticè delineavit manus Autoris. Anno. 1663 Febr. 12.

1.

Dedicatio Hortenſis.

Dedico, *Sponſe* Tibi florentem Cypridos hortum;
In quo tu *Maji-fronde* virente viges.
Et tibi, *Sponſa*, dico Paphiæ plantaria Divæ;
Vernat ubi *Lupulus*, Florida *Sponſa* tuus.

2.

Nominalis Conjugum Reciprocatio.

Nomina Conjugiô variante reciproca currunt;
Et capiunt JOVA ſic moderante, vices.
HOPPIUS ante aliquot ſibi fœdere junxerat annos
MEIRISIAM; ſed nunc HOPPIA MEIRISIUM.

3.

Frons-Maji effectis variat.

Fronde virent ſylvæ *Maji* ſpirantibus auris;
Frondibus & *Maji* mœnia noſtra virent.
Verùm *Frons-Maji* ſylveſtri Civica differt;
Nec ſunt cognatâ conditione pares
Scilicet in ſylvis generat *Frons* arbore *Frondem*:
Civica ſed *frontem Frons* generare ſolet.

4.

In Nomen & Cognomen Dn. Sponſi.

Tempora deſignant diſtantia Nomina Sponſi:
Scilicet *Autumnum* Verque ſalubre notant.
Autumnô MICHAEL; *Maji-Frons* Vere reſurgit:
Non caret hoc Paphiâ tempus utrinque notâ.

Tempus

Tempus utrumque jocis, caſtis & amoribus aptum:
Vitis in Autumno, ſed *Roſa* * Vere datur.
* *Roſa Veneri ſacra. Pauſ. in poſt. Eliac.*

5.
Sponſa Sponſum inebriat.

Dicitur in noſtra *Meiriſius* ebrius urbe:
Undè ſit ebrietas, addubitare licet.
Ebrius eſt Muſis, ſic Muſa diſertior inquit:
Ebrius is Venere eſt: ſic ait ipſa Venus.
Veriùs hic Muſis dixit, me judice, Cypris:
Ebrius eſt *lupulis*, *Hoppias* alma, tuis.

Ad Virum

Generoſum, Permagnificum, Strenuum

DN. DN. ADRIANUM de LINDA,

Gubernatorem Mirachovienſem Illuſtrem Reip. Gedan.

Præ-Cos Seniorem, Muſarnm Patronum laudatiſſimum.

1.

Tityrus umbroſo recubans ſub tegmine *Fagi* *
Suaviter optatâ membra quiete fovet:
At mea, dum captat jucundam Muſa quietem,
Optat ſub *Tilia* ſuavè cubare Tua.
* *Virg. Ecl.* 1.

2.

Omnia ducuntur *foliis* animântia gratis,
Quæ *Tilia* è ramis fundit opaca ſuis.
Me Tua, me recreat *Tiliacea* gloria: Veſtrum
Eſt *folium foliis* dulce, PATRONE, meis.

3.

Non opus, Aöniô pigmentô pingere laudes,
Et fucare Tuum, VIR GENEROSE, decus:
Per ſe flammeolô ſplendet Tua Gloria vultu:
Nil *phaleris Philyras* ornat Apollo Tuas.

Ad Nobiliſſ. Ampliſſ. Excellentiſſ. Virum

DN. JOHANNEM HEVELIUM,

Conſulem Gedanenſem & Mathematicorum hujus ſeculi Phœnicem.

1.

Occaſio Scriptionis.

Tu colis *Uranien*; Ego totâ mente *Thaliam*
Percolo; & eſt ſoboles utraque Diva Jovis.
Ergo Tuam *Uranien* dum noſtra *Thalia* reviſit;
Viſitur à blandâ blanda Sorore Soror.

2.

Cognominis HEVELIANI *Claritas.*

Sideris es *ſidus*, Cœli ſcrutator HEVELI;
Sidera nam per Te plura ſub Axe micant.
Tu *Solem* exponis *Soli*, ſucceſſibus Artis:
Inque *facem* Lunæ fers ſpeculando *facem*.
Planum eſt: *Hevelius* plane eſt ἐνήλιο̧ * Autor:
Hoc à *Sole* ſibi nobile Nomen habet.
* *i. e. Soli expoſitus.*

3.

Ad Eundem Conſulem & Aſtronomum.

Curia conſiliis gaudet; ſpeculatibus Æther:
Eſt *Aſtræa* Tuum; ſunt ſimul *Aſtra*, decus;

Ad Virum

Eruditione ac Muſices theoriâ & praxi præſtantem

DN. JOHANNEM FABRICIUM,

Gymn. Elbing. Collegam & Cantorem.

Doctrinâ præſtant alii, non laude canendi:
Cantu alii, ſed non cognitione, valent.

Cogni-

Cognitione vales, & præſtas arte canendi;
Sic *philomuſicus* es; ſic *Philomuſus* ades.

Ad Virum

Nobiliſſ. Ampliſſimum, Conſultiſſ.

DN. PAULIUM GERICIUM,

Reip. Patr. Elbing. Cos.
graviſſimum

EPIGRAMMA TRIPLEX.

1.

Epigramma in æſtu Caniculari eſt Oblectamentum.

Tempus erit, quondo graviora negotia tractes;
Cùm tractes tantum ludicra, tempus erit.
Ludicra nunc recreent; dum flagrans impedit æſtu
Sirius, ut minimè *Serius* eſſe queas.

2.

Epigramma in luctu & morbo eſt Levamentum.

Sæpius afflixit vehemens Tua corpora morbus:
Et luctu torſit pectora mœſta dolor.
Quàm Tibi, ſi poſſem, medicinam adhibere pararem,
Aut aliquâ luctum parte levare Tuum!
Ludicra deminuunt luctum, morbiſque medentur:
Tradit ludicros hîc *Epigramma* ſales.
Ergò *Epigramma* meum, Tibi ſi præſtare nequibit
Vim *medicam*, ſaltem præſtet opem *modicam*.

3.

Epigramma Virorum præſtantium eſt Ornamentum.

E Latio quondam, venerande Patrone, GERICI,
Deduxi Nomen, multa *gerendô*, Tuum.
Jam, niſi faſtidis noſtræ molimina Muſæ,
Nominis exortum lingua Pelaſga dabit.
Notius eſt Verbum Græcâ regione γεράζω,
Id quod, *Honoro*, notat; *præmia dono*, notat.
Hinc mea Muſa Tui derivat Nominis ortum,
Munere VIR dignus: dignus *Honore* VIR es.

Ad VIRUM
Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſimum
DN. GEORGIUM BRAUNIUM,
Patronum mihi faventiſſimum,
Epigrammaticè
Luſibus meis Epigrammaticis
accinentem.

1.
Suffragium Viri Ampliſſimi.

Noſtra quòd elogiô *dignaris* Carmina; jure
Dignor ego *laudum* * *laude* decente Tuum.
* *Laudum Jurisconſultis eſt ſententia arbitri.*

2.
Calculus Ejuſdem albus.

Calculus eſt *albus*, quem verſibus adjicit ultrò
BRAUNIUS: eſt *fuſci candida* Muſa VIRI.

3.
Cognominis in ſpeciebus Varietas.

Nomen ab inſigni *geſtas* inſigne *colore*;
Eximiumque Tibi naſcitur inde decus.
Es *Phœnix*; color hic quando *Phœniceus* audit:
Sique vocas *aquilam*, tum *Jovis ales* eris.

4.
Cognominis Dignitas.

Sæpius eſt dubium, num quis ſiet *ater* an *albus*;
Qualis ſis, BRAUNI, non dubitare licet.
Fuſcus es; & ſimili, ſeu *purpura rara*, colore:
Scilicet eſt dignus Regibus ille color.

5.
Cognominis Perpetuitas.

Obſcurat multos Fortuna inimica *colores*;
Fuſcabunt fuſcum nubila nulla Tuum.

Al-

6.

Alluſio Generalis.

Nomine non quisquam *color* eſt vitioſus in ipſo:
Eſt *color* in vitio, *pectore* quando latet.

7.

Zoili Confutatio.

Zoilus increpuit Muſam; quid *fuſcus Amyntas*,
Sic in amore tibi eſt? ſic in honore tibi eſt?
Muſa cani retulit: *Quid tum, ſi fuſcus Amyntas?* *
Sunt nigræ violæ; ſic hyacinthus adeſt.
* *Virg. Eclog.* 2.

8.

Excuſatio Audaciæ.

Ad Veſtrum *ludo*, ſed non *illudo*, Camœnâ
Nomen; ſic *pœnâ*, ceu puto, *penna* caret.

Cum
Viro Clariſſimo, Doctiſſimo
DN. FRIDERICO HOFMANNO,
ingenioſa Varietate
ad
Nomen BRAUNIANUM
ludente,
Epigrammatica
Colluſio.
Ad
Virum Clariſſimum
DN. FRIDERICUM HOFMANNUM.

I.

Quàm-paucos-largô compenſas fœnore verſus!
Plurimus in laudes & ruis uſque meas.

Affectum Muſámque probo *laudantis* Amici,
Sed quæ *ludit* Amans, hæc ego vera putem ?

2.

Fertilis ingenii *ſeges* & mihi dona probantur :
At bonus hic quantùm luxuriatur *ager* !
Tolle meas laudes, ſic affirmare licebit :
Lautius hiſce nihil, *latius* eſſe nihil.

3.

Zoile nè Muſam laudantis carpe Poëtæ ,
Quod tribuat nimium, *laus* ea *luſus* * erat.
* *Laus*, per Anagr. *luſa*.

4.

Hofmanne , ad nomen quantum attinet , *Aulicus* audis,
Re non es, nec res promovet *Aula* tuas.
Vis dicam quare, & cauſam noviſſe laboras ?
Non *favet* Aula bonis, non *fovet* Aula bonos.

5.

Hofmannus, nomen ſi ſpectes, *Aulicus* audit,
Aſt *Aulæ* Hoffmannus munia nulla gerit.
Quærenti cauſam facilis reſponſio præſto eſt :
Turbida *Pacificos* * non amat *Aula Viros*.
* *Friderich Hoffmann*.

6.

Sum *Fuſcus* licet, & talem me nomina ſignent,
Attamen à *Fuſci* pectore *fucus* abeſt.
Nè dubites, *Hofmanne*, en hæc tibi ſigna favoris
Candoriſque mei non latitantis habe.

7.

Ludere res licita eſt, nec non *colludere* dulce eſt :
Et probat alternos docta Camœna ſonos.
Innocua * *ætatis* proprium ſi luſus habetur ,
Ludere num vario carmine crimen erit ?
* *Innocua puerorum ætas*.

Genius Bonus recenſuit.

Ad

Ad Virum

Maximè Reverendum, Magnificum, Excellentiſſ.

DN. JOHANNEM RISTIUM,

Sacri Cæſ. Palat. Comitem &c.

Cùm Reverendæ Ipſius Magnificentiæ Exemplar Epigrammatum tranſmitterem.

Dedicatio

Exemplaris hujus Epigrammatici.

Muſa mihi queſta eſt: *Parnaſſô* Græcia dudum
Me fugat; & peregre flebilis Exul ago.
Ipſe ſed hæc dixi querulæ ſolatia Muſæ:
Mitte tuas curas; En *Helicona* novum.
Albim flumen adi, quà Balthes influit æquor:
Hîc *Parnaſſiaci* culmina Montis erunt.
Mons, Fons, Muſa datur; datur iſtîc præſes *Apollo*:
RISTIUS hîc Phœbi ſuſtinet ipſe vices.
Omnia cum *Græco* cernes conformia Monte:
Nominibus variat res modò priſca novis.
Huc Mea Muſa veni: licet hîc Tibi certa negetur
Græcia; non deerit *Gratia* certa Tibi.

Ad Virum

Admodum Reverendum, Excellentiſſ. Clariſſimum

DN. GERHARDUM MEIERUM,

S. S. Theol. Licent. & P. P. & illuſtris Gymnaſii Bremenſis Rectorem Magnificum.

Haud Helicone ſuô tantùm ſe jactat Apollo;
Sed peregre & *Villas* ſtruxit Apollo ſuas.
Sunt Phœbi *Villæ* Collegia clara, Scholæque;
Sunt Academiæ Teutonis Orbe ſitæ.
Ultima Phœbéi non eſt hæc *villa* Parentis,
Condita Bremanâ quæ procul Urbe nitet.

Hîc Sophiæ cultus viget; hic cultura Minervæ;
 Hîc facit Aönias *Villſta* Muſa ſatus.
Hanc quoniam Phœbi *villam*, M E I E R E, gubernas;
 Hinc catus es Phœbi *Villicus* * ipſe Patris.

* Meyer.

Ad Virum

Nobiliſſimum, Ampliſſimum, Conſultiſſimum,

DN. J O H A N N E M HUNEKENIUM

J. U. D. *& inclytæ Reip. Bremens. patriæ Senatorem digniſſimum,*

Fautorem & Amicum pl. colendum.

MUSA EPIGRAMMATICA.

1.

Renovat priſtinam Familiaritatem.

Muſæo juncti binos qui viximus annos,
 Disjuncti geminâ nunc regione ſumus.
Sed tamen ut juncti tecto videamur in uno,
 Non jam *Muſæum*; ſed pia *Muſa* facit.

2.

Gratulatur Doctoralem Claritatem.

Te *Themis inſtituit digeſtis* ordine libris;
 Codicibus priſcis, Te docúitque *Novis.*
Hinc Tibi Coccineum pileum pro talibus auſis
 Debuit illa Æqui *Juſtitiæque* parens.
Debuit & ſolvit; quoniam *tribuiſſe decenter*
 Munus Juſtitiæ eſt, *unicuique* ſuum.

3.

Favet Senatoriam Dignitatem.

Te Procerum ſtatuit natalis in ordine B R E M A;
 Téque Senatorum juſſit ineſſe choro,
Sit Tibi fauſtus honor: nec, quos Tibi patria faſces
 Brema dedit, Sortis tetrica *Bruma* premat.

Pre-

4.

Precatur auream Felicitatem.

Urbs Tibi *Saxonia* vitam, Tibi donat Honores,
Quà volvit liquidas amne Viſurgis aquas.
O Tibi Bremana, quâ vivis. *Saxonis* Urbe
Saxea diffugiant; *Aurea* ſecla fluant!

VIRO

Maximè Reverendo, Excellentiſſ. Clariſſimo

DN. M. JOHANNI BREVERO,

Eccleſ. Rigens. Paſtori primario; & pl. Rever. Miniſterii ibid. Seniori.

1.

Prævia Salutatio.

Ecce, BREVERE, *brevis* Te Pruſſica Muſa ſalutat;
Téque *brevi longùm* voce valere jubet.
Cauſa fugit, quid Muſa *brevis* Te viſitet ipſum?
Te *brevibus* ſperat Muſa, BREVERE, capi.

2.

Alluſiva Cognominis Explicatio.

A *brevitate* Tibi nomen fluxiſſe videtur:
Multa ſed in Te ſunt, quæ *brevitate* carent.
Non *brevis* eſt Doctrina Tibi, non *curta* ſupellex:
Philoſophos inter; Rhetoras inter ovas.
Non *brevis* Hiſtoriæ ratio Tibi cognita priſcæ:
Hiſtoricos trivit docta Cathedra Patres.
Non Tibi Theiôlogûm *brevis* experientia libris:
Inde Miniſterii ſtas Cynoſura Tui.
Sunt hæc *longa* Tibi: ſint cætera *longa*, quod opto:
Longáque proſperitas; vitáque *longa* cadant.
Omnia *longa* precor: *longum* modò deprecer unum:
Te Sors *nulla* premat; vel *brevis* illa premat.

3.

Votiva ex Urbis Nomine Comprecatio.

Qui ſe Pieriô replêrunt fonte, precari
His, mos eſt, vitæ ſecula multa Viris.

Non, BREVERE, Tibi (nè votis irrita poſcam)
Nelidæ voveo Mathuſalæque dies.
Opto Tibi facilem RIGA florente ſenectam:
Te bona *Riga* riget: Te bona *Ruga* beet.

Ad Excellentiſſ. Clariſſ. Virum,

DN. M. ANDREAM CONCIUM,

Mathematum in alma Regiom. Prof. Publ. celeberrimum. Alluſio ad Nomen.

Cœli enarrant gloriam DEI.
Pſalm. 19. *v.* 1.

NUMINIS enarrat Cœlorum fabrica laudem;
Sidera ſunt tanquam *Concio* muta DEI.
CONCIUS at Cœlos dum ſcriptô enarrat & Ore,
Concius eſt laudis *Concio* viva DEI.

Guttulæ

EPIGRAMMATICÆ
Ad
VIRUM
Summè Reverendum, Magnificum, Excellentiſſimum, Clariſſimum,

DN. JOHANNEM RISTIUM,

Regium Wedelæ ad Albim Paſtorem meritiſſimum; Sacræ Majeſt. Cæſareæ Comitem Palatinum, & Poëtam ex ipſa Aula Cæſarea coronatum nobilem; nec non Illuſtriſſ. Ducis Meclæburg. & Swerin: Conſiliarium Eccleſiaſticum, &c. &c.

Ex Elbingo Pruſſorum flumine per Mare Balthicum in Albim Muſarum aquagiô derivatæ per

FRIDERICUM HOFFMANNUM.
Glogov. Siles.
Gymn. Elbing. Con R:

1.

R ISTIUS *Eccleſiaſtes & Poëta.*

R ISTIUS æhteriô veneratur Numina cultu:
R ISTIUS & Vatum Delphica ſacra colit.
Sic quia præcellens JOVÆ eſt PHOEBIque Sacerdos;
Albius * inde Vir eſt: *Olbius* † inde Vir eſt.

* *Ideſt; Poëta iuſtar* Albii *Tibulli celeberrimus.*
† *hoc eſt; divinus &* beatus *Myſta.*

2.

R ISTIUS *Poëtarum Rex.*

Convocat Aonias conſultus Apollo Sorores,
Ut Vatum Regem Teutonis Orbe creent.
Quis Rex, inquit, erit Vatum? Nunc ſceptra meretur
R ISTIUS? acclamant; ISTIUS eſto thronus.

3.

R ISTIUS *Comes Palatinus.*

Inde *Palatinus* Comes ingens R ISTIUS audit,
Quod ſit *Palati* Cæſaris Ipſe Comes.
Sed quia metra *Deûm* ſapiunt HOMINUMque *palato*,
Jure *Palatinus* dicitur inde Comes.

4.

R ISTIUS *Cycnus Poëticus; & ex Dignitate Imperiali Albæ Gallinæ Filius.*

An magìs es *Cycni* ſoboles; an *Filius albæ*,
R ISTI Gallinæ, qui còlis *Albis* aquas?
Cycnus es; hoc conſtat: produnt TE cantica *Cycnum*:
Es quoque *Gallinæ candidioris* honor.
Gallinam * quondam JOVIS ARMIGER intulit *albam*
Cum lauru gremio, Livia fauſta, tuo.
TE *laurus*, AQUILÆ ROMANÆ præmia; ditant:
Teque *Palatinus* nobilitavit apex.

* *Liviæ olim, Vejentanum ſuum reviſenti, prætervolans* aquila gallinam albam, ramulum lauri roſtrô tenentem, dimiſit in gremium. *Cúmque nutriri alitem, & pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa* Ad Gallinas *vocetur: Tale verò* Lauretum; *ut triumphaturi Cæſares laureas inde decerperent &c. Suet. in* Galba.

5.

RISTIUS *Cycnus Albicola.*

Teutonicos inter fluvios celeberrimus *Albis*,
Quæritur is nomen traxerit unde ſuum.
Fontibus *Undenis* * Teuto denominat ipſum ;
E quorum vivis naſcitur *Albis* aquis.
Eſto : ſed ex *albis* RISTI, me judice, CYCNIS
Hôc ſeclô nomen rectiùs *Albis* habet.

* Albim *nomen habere à numero* undecim, *è quibus oritur*, fontium, *qui tandem conflati Albim fluvium conficiant, tradit Fabricius in ſuis rerum Miſnic. libris. Nam* Elve & Elbe *Germanis* Undecim *ſignificat.*

6.

RISTIUS *Albis fluvii Honor.*

Alba * per Hiſpanos ; Italoſque *per Albula* † campos.
Claret : at eſt clarus Teutonis *Albis* humô
Albula & *Alba* tamen ſolo ſuperantur ab *Albi*,
Dum clarat celebres RISTIUS unus aquas.

* Alba, *flumen eſt* Hiſpaniæ *citerioris ad radices Pyrenæi. Plin* 3 *c.* 3.
† Albula, *eſt nobiliſſimus* Italiæ *fluvius idem qui* Tyberis. *Virg. l.* 8. *Æn. v.* 330, 331, 332.

Ænigma

de παλινϛροφία duorum Nominum Propriorum.
Ad Virum Quendam pl. Rev. & Clariſſimum.

Nomina bina pari Latium pronunciat ore,
Sive viâ rectâ, retrogrodâve legas.
Has voces quas eſſe putas ? Vox competit una
Fœmineo * generi ; competit una *Viris* †
* ANNÆ. OTTO.

Ad Nob. Spectab. & Conſultiſſ.

DN. ANDREAM WILMSONIUM,

Advocatum Communit. Civium, & Prætorem Suburbanum.

Wilmſonium legit Patrum conſenſus, ut annô
Hoc *Præſentantem* dux regat arte *chorum*.
Wilmſonius rectè fungetur partibus iſtis :
Nomine, ſe promte publica *Velle*, docet.

Gene-

Generoſo, Nobiliſſimo, & maximè Strenuo

DN. DN. ERNESTO DE BODECK,

Hæreditario in Janſdorff, Wieſe, & Falckerhorſt &c. Literarum Cultori, Literatorum Fautori laude digniſſimo.

1.

Hoc Epigrammatum Exemplar exhibetur.

Montibus Aoniis Epigrammata nata fuerunt:
Hinc amat excelſos Muſa ſubire Lares:
Tendit ad inſignes Generis ſplendore PATRONOS,
Conſpicuoſque petit Gentis honore Viros.
Ergò BODECKERI viſat mea Muſa Penates*:
Invenit hic fulgens nobilitate decus.
Muſa gradum celera: Tibi SOL ORIETUR eunti:
Namque BODECKERUM SOL ORIENTIS * habet.

* *Pagus Jansdorff Civitati Elbingæ verſus Orientem ſitus eſt.*

2.

Exhibitionis ex Nominibus trium Pagorum occaſio oſtenditur.

Pax recreat Muſas: *pratis* & *ſaltibus* ipſe
Cum Muſis gaudet præſes Apollo ſuis.
Non igitur mirum, quòd Te mea Muſa ſalutet:
In *Pagis* * quærit tam Bona grata Tuis.

* *Janſdorff*, *quaſi* Jani *pagus* pacem *ſpondet*; *quia Templum* Jani *clauſum* pacis *ſignum Romæ erat.* Wiele *verò &* Falckenhorſt *à* pratis *&* ſaltibus *nomina, Germano cuivis obvia, gerunt.*

3.

Faviſti quondam præſens in Druſide Suadæ*:
Nunc *abſens Muſæ* porrò faveto meæ.
Ceu mea te coluit *præſentem ſuada loquendo*:
Te ſic *abſentem Muſa canendo* colet.

* *Anno* 1653. *cum orationem Inauguralem de conjungenda Rationis & Orationis cultura in Gymn. Elbing. haberem.*

4.

Votum annectitur;
eoq; alluditur ad Nominis Gentilitii finalem ſyllabam ECK.

Angulus in vita es; ſed qui vivendo fuiſti
Angulus, à fatis *Angelus* * eſto Tuis.

* *Luc.* 20. *v.* 36.

Diſtichon Thecæ inſcriptum,

Quam
Nobiliſſimus ac Conſultiſſimus

DN. BARTHOLOMÆUS FRIDERICI,

Secretarius Civit. Elbing. primarius,
Adfinis pl. colendus,
cum Militibus Scacchicis mihi donavit.

Scacchica *Friderici Friderico** hæc agmina donat:
A Caſu *Obliquo** munera *Rectus*† habet.

* *id eſt*: *à Genitivo* Friderici, *quod Cognomen eſt Donatoris.*
† *id eſt*: *Nominativus* Fridericus, *quod Nomen eſt Donatarii.*

Ad plur. Rever. Excellentiſſ. Clariſſ. Virum

DN. M. JOHANNEM NEUNACHBERUM,

Paſtorem Thorun. primarium, & Gymnaſii Profeſſorem.

Neunachbere meus verſu Te viſit Apollo,
Nec ſeſe infeſtas ſperat adire fores.
Nam, qui Te quondam *vicinum* Phœbus amabat,
Jam Tibi *vicinus* geſtit amore frui.

Ad Eundem.
De Cognominis Origine.

Cùm quondam Clarii peteres faſtigia Montis;
Et propè jam ſtares in viridante jugo:
Dixit Apollo novem lætanti voce Deabus,
O mea *Vicinum* cernite turba *Novum*.
Gratantes igitur plaudebant illicò Divæ,
Vicinóque dabant proſpera verba *Novo*.
Vicinum, euge, *Novum*! cantabunt undique Muſæ;
Nomine non aliò Te voluêre cani.

Tri-

Triplex Elogium

Nobiliſſimi ac Literatiſſimi Domini,

GUILIELMI CLENCHI, ANGLI,

ductum.

1.

E certa Cognominis Derivatione.

Veſtra mihi, CLENCHI, *de Contraho* * nata videntur
Nomina: quid gremiô contrahis ergò Tuo?
Ars, ſimul & Virtus in te *contracta* juguntur:
Virtutum eſt in Te Nucleus; Artis item.

* *Riderus in Diction. ſuo habet: to clinchor clench eſt contrahere: ut, to clinch the fiſt, contrahere pugnum.*

2.

Ex honeſta Mercurii Imitatione

Artes, non Merces, multi tractare laborant:
Mercis Mercurius ſed Deus ipſe fuit.
Merces, non Artes, alios tractare juvabit:
Artis Mercurius ſed Deus ipſe fuit.
Artes & Merces, CLENCHI, es tractare peritus;
Sic bene, Mercurius quod fuit, eſſe ſtudes.

3.

E grata Liberalitatis prædicatione.

Aurea dixiſti præſtans mea Carmina CLENHCI:
Aurea judiciô Carmina ſunto Tuo.
Nam Tu Ducatis Epigrammata gratus *inauras*:
Aurea ſic feci non Ego; Tute facis.

Ad Humaniſſimum, Præſtantiſſimúmque

DN. JOHANNEM MATTHÆUM,

Amicum ſuum colendum.

Matthæus tribuêre Tibi Noménque *Johannes*
Scriptores CHRISTI, Diſcipulique duo.
Hoc in Te duplex Nomen quia jungitur uno,
Conſimilis vitâ ſis ut Utrique, decet.

Ad VIRUM

Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſimum

DN. GEORGIUM BRAUNIUM,

Patronum mihi faventiſſimum,
Epigrammaticè
Luſibus meis Epigrammaticis
accinentem.

1.

Suffragium Viri Ampliſſimi.

Noſtra quòd elogiô *dignaris* Carmina; jure
Dignor ego *laudum** *laude* decente Tuum.

* *Laudum Jurisconſultis eſt ſententia arbitri.*

2.

Calculus Ejuſdem albus.

Calculus eſt *albus*, quem verſibus adjicit ultrò
BRAUNIUS: eſt *fuſci candida* Muſa VIRI.

3.

Cognominis in ſpeciebus Varietas.

Nomen ab inſigni *geſtas* inſigne *colore*;
Eximiumque Tibi naſcitur inde decus.
Es *Phœnix*; color hic quando *Phœniceus* audit:
Sique vocas *aquilam*, tum *Jovis ales* eris.

4.

Cognominis Dignitas.

Sæpius eſt dubium, num quis ſiet *ater* an *albus*;
Qualis ſis, BRAUNI, non dubitare licet.
Fuſcus es; & ſimili, ſeu *purpura rara*, colore:
Scilicet eſt dignus Regibus ille color.

5.

Cognominis Perpetuitas.

Obſcurat multos Fortuna inimica *colores*;
Fuſcabunt fuſcum nubila nulla Tuum.

6.

Alluſio Generalis.

Nomine non quiſquam *color* eſt vitioſus in ipſo:
Eſt *color* invitio, *pectore* quando latet.

7.

Zoili Confutatio.

Zoilus increpuit Muſam; quid *fuſcus Amyntas*,
Sic in amore tibi eſt? ſic in honore tibi eſt?
Muſa cani retulit: *Quid tum, ſi fuſcus Amyntas?* *
Sunt nigræ violæ; ſic hyacinthus adeſt.
* *Virg. Eclog.* 2.

8.

Excuſatio Audaciæ.

Ad Veſtrum *ludo*, ſed non *illudo*, Camœnâ
Nomen; ſic *pœnâ*, ceu puto, *penna* caret.

Cum

Viro Clariſſimo, Doctiſſimo

DN. FRIDERICO HOFMANNO,

ingenioſa Varietate

ad

Nomen BRAUNIANUM

ludente,

Epigrammatica
Colluſio.

Ad

Virum Clariſſimum

DN. FRIDERICUM HOFMANNUM.

1.

Quàm-paucos-largô compenſas fœnore verſus!
Plurimus in laudes & ruis uſque meas.

Affectum Muſámque probo *laudantis* Amici,
Sed quæ *ludit* Amans, hæc ego vera putem?

2.

Fertilis ingenii *ſeges* & mihi dona probantur:
At bonus hic quantùm luxuriatur *ager*!
Tolle meas laudes, ſic affirmare licebit:
Lantius hiſce nihil, *latius* eſſe nihil.

3.

Zoile nè Muſam laudantis carpe Poëtæ,
Quod tribuat nimium, *laus* ea *luſus* * erat.
* *Laus*, per Anagr. *luſa*.

4.

Hofmanne, ad nomen quantum attinet, *Aulicus* audis,
Re non es, nec res promovet *Aula*, tuas.
Vis dicam quare, & cauſam noviſſe laboras?
Non *favet* Aula bonis, non *fovet* Aula bonos.

5.

Hofmannus, nomen ſi ſpectes, *Aulicus* audit,
Aſt *Aulæ* Hoffmannus munia nulla gerit.
Quærenti cauſam facilis reſponſio præſto eſt:
Turbida *Pacificos* * non amat *Aula Viros*.
* *Friderich Hoffmann.*

6.

Sum *Fuſcus* licet, & talem me nomina ſignent,
Attamen à *Fuſci* pectore *fucus* abeſt.
Nè dubites, *Hofmanne*, en hæc tibi ſigna favoris
Candoriſque mei non latitantis habe.

7.

Ludere res licita eſt, nec non *colludere* dulce eſt:
Et probat alternos docta Camœna ſonos.
Innocuæ * *ætatis* proprium ſi luſus habetur,
Ludere num vario carmine crimen erit?
* *Innocua puerorum ætas.*

Genius Bonus recenſuit.

Ad Virum

Maximè Reverendum, Magnificum, Excellentiſſ.

DN. JOHANNEM RISTIUM,

Sacri Cæſ. Palat. Comitem &c.

Cùm Reverendæ Ipſius Magnificentiæ Exemplar Epigrammatum tranſmitterem.

Dedicatio

Exemplaris hujus Epigrammatici.

Muſa mihi queſta eſt: *Parnaſſô* Græcia dudum
Me fugat; & peregre flebilis Exul ago.
Ipſe ſed hæc dixi querulæ ſolatia Muſæ:
Mitte tuas curas; En *Helicona* novum.
Albim flumen adi, quà Balthes influit æquor:
Hîc *Parnaſſiaci* culmina Montis erunt.
Mons, Fons, Muſa datur; datur iſtîc præſes *Apollo*:
R I S T I U S hîc Phœbi ſuſtinet ipſe vices.
Omnia cum *Græco* cernes conformia Monte:
Nominibus variat res modò priſca novis.
Huc Mea Muſa veni: licet hîc Tibi certa negetur
Græcia; non deerit *Gratia* certa Tibi.

Ad Virum

Admodum Reverendum, Excellentiſſ. Clariſſimum

DN. GERHARDUM MEIERUM,

S. S. *Theol. Licent. &* P. P. *& illuſtris Gymnaſii Bremenſis Rectorem Magnificum.*

Haud Helicone ſuô tantùm ſe jactat Apollo;
Sed peregre & *Villas* ſtruxit Apollo ſuas.
Sunt Phœbi *Villæ* Collegia clara, Scholæque;
Sunt Academiæ Teutonis Orbe ſitæ.
Ultima Phœbéi non eſt hæc *villa* Parentis,
Condita Bremanâ quæ procul Urbe nitet.

Hîc Sophiæ cultus viget; hic cultura Minervæ;
 Hîc facit Aönias *Villâ* Muſa ſatus.
Hanc quoniam Phœbi *villam*, MEIERE, gubernas;
 Hinc catus es Phœbi *Villicus** ipſe Patris.
* Meyer.

Ad Virum

Nobiliſſimum, Ampliſſimum, Conſultiſſimum,

DN. JOHANNEM HUNEKENIUM

J. U. D. *& inclytæ Reip. Bremens. patriæ Senatorem digniſſimum,*

Fautorem & Amicum pl. colendum.

MUSA EPIGRAMMATICA.

1.

Renovat priſtinam Familiaritatem.

Muſéo juncti binos qui viximus annos,
 Disjuncti geminâ nunc regione ſumus.
Sed tamen ut juncti tecto videamur in uno,
 Non jam *Muſéum*; ſed pia *Muſa* facit.

2.

Gratulatur Doctoralem Claritatem.

Te *Themis inſtituit digeſtis* ordine libris;
 Codicibus priſcis, Te docúitque *Novis*.
Hinc Tibi Coccineum pileum pro talibus auſis
 Debuit illa Æqui *Juſtitiæque* parens.
Debuit & ſolvit; quoniam *tribuiſſe decenter*
 Munus Juſtitiæ eſt, *unicuique* ſuum.

3.

Favet Senatoriam Dignitatem.

Te Procerum ſtatuit natalis in ordine BREMA;
 Téque Senatorum juſſit ineſſe choro,
Sit Tibi fauſtus honor: nec, quos Tibi patria faſces
 Brema dedit, Sortis tetrica *Bruma* premat.

Pre-

4.

Precatur auream Felicitatem.

Urbs Tibi *Saxoniæ* vitam, Tibi donat Honores,
  Quà volvit liquidas amne Viſurgis aquas.
O Tibi Bremana, quâ vivis. *Saxonis* Urbe
  Saxea diffugiant; *Aurea* ſecla fluant!

VIRO

Maximè Reverendo, Excellentiſſ. Clariſſimo

DN. M. JOHANNI BREVERO,

Eccleſ. Rigens. Paſtori primario; & pl. Rever. Miniſterii ibid. Seniori.

1.

Prævia Salutatio.

Ecce, BREVERE, *brevis* Te Pruſſica Muſa ſalutat;
  Téque *brevi longùm* voce valere jubet.
Cauſa fugit, quid Muſa *brevis* Te viſitet ipſum?
  Te *brevibus* ſperat Muſa, BREVERE, capi.

2.

Alluſiva Cognominis Explicatio.

A *brevitate* Tibi nomen fluxiſſe videtur:
  Multa ſed in Te ſunt, quæ *brevitate* carent.
Non *brevis* eſt Doctrina Tibi, non *curta* ſupellex:
  Philoſophos inter; Rhetoras inter ovas.
Non *brevis* Hiſtoriæ ratio Tibi cognita priſcæ:
  Hiſtoricos trivit docta Cathedra Patres.
Non Tibi Theiôlogûm *brevis* experientia libris:
  Inde Miniſterii ſtas Cynoſura Tui.
Sunt hæc *longa* Tibi: ſint cætera *longa*, quod opto:
  Longáque proſperitas; vitáque *longa* cadant.
Omnia *longa* precor: *longum* modò deprecer unum:
  Te Sors *nulla* premat; vel *brevis* illa premat.

3.

Votiva ex Urbis Nomine Comprecatio.

Qui ſe Pieriô replêrunt fonte, precari
  His, mos eſt, vitæ ſecula multa Viris.

Non, BREVERE, Tibi (nè votis irrita poſcam)
Nelidæ voveo Mathuſalæque dies.
Opto Tibi facilem RIGA florente ſenectam:
Te bona *Riga* riget: Te bona *Ruga* beet.

Ad Excellentiſs. Clariſs. Virum,

DN. M. ANDREAM CONCIUM,

Mathematum in alma Regiom. Prof. Publ. celeberrimum. Alluſio ad Nomen.

Cœli enarrant gloriam DEI.
Pſalm. 19. *v.* 1.

NUMINIS enarrat Cœlorum fabrica laudem;
Sidera ſunt tanquam *Concio* muta DEI.
CONCIUS at Cœlos dum ſcriptô enarrat & Ore,
Concius eſt laudis *Concio* viva DEI.

Guttulæ

EPIGRAMMATICÆ
Ad
VIRUM
Summè Reverendum, Magnificum, Excellentiſſimum, Clariſſimum,

DN. JOHANNEM RISTIUM,

Regium Wedelæ ad Albim Paſtorem meritiſſimum; Sacræ Majeſt. Cæſareæ Comitem Palatinum, & Poëtam ex ipſa Aula Cæſarea coronatum nobilem; nec non Illuſtriſſ. Ducis Meclæburg. & Swerin: Conſiliarium Eccleſiaſticum, &c. &c.

Ex Elbingo Pruſſorum flumine per Mare Balthicum in Albim Muſarum aquagiô derivatæ per

FRIDERICUM HOFFMANNUM.
Glogov. Siles.
Gymn. Elbing. Con R:

RISTI-

1.

RISTIUS *Eccleſiaſtes & Poëta.*

RISTIUS æhteriô veneratur Numina cultu:
RISTIUS & Vatum Delphica ſacra colit.
Sic quia præcellens JOVÆ eſt PHOEBIque Sacerdos;
Albius * inde Vir eſt: *Olbius* † inde Vir eſt.

* *Ideſt; Poëta iuſtar* Albii *Tibulli celeberrimus.*
† *hoc eſt; divinus &* beatus *Myſta.*

2.

RISTIUS *Poëtarum Rex.*

Convocat Aonias conſultus Apollo Sorores,
Ut Vatum Regem Teutonis Orbe creent.
Quis Rex, inquit, erit Vatum? Nunc ſceptra meretur
RISTIUS? acclamant; ISTIUS eſto thronus.

3.

RISTIUS *Comes Palatinus.*

Inde *Palatinus* Comes ingens RISTIUS audit,
Quod ſit *Palati* Cæſaris Ipſe Comes.
Sed quia metra *Deûm* ſapiunt HOMINUMque *palato*,
Jure *Palatinus* dicitur inde Comes.

4.

RISTIUS *Cycnus Poëticus; & ex Dignitate Imperiali Albæ Gallinæ Filius.*

An magìs es *Cycni* ſoboles; an *Filius albæ*,
RISTI Gallinæ, qui côlis *Albis* aquas?
Cycnus es; hoc conſtat: produnt TE cantica *Cycnum*:
Es quoque *Gallinæ candidioris* honor.
Gallinam * quondam JOVIS ARMIGER intulit *albam*
Cum lauru gremio, Livia fauſta, tuo.
TE *laurus*, AQUILÆ ROMANÆ præmia, ditant:
Teque *Palatinus* nobilitavit apex.

* *Liviæ olim, Vejentanum ſuum reviſenti, prætervolans* aquila gallinam albam, ramulum lauri roſtrô tenentem, dimiſit in gremium. *Cúmque nutriri alitem, ac pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa* Ad Gallinas *vocetur: Tale verò* Lauretum; *ut triumphaturi Cæſares laureas inde decerperent &c. Suet. in Galba.*

5.

RISTIUS *Cycnus Albicola.*

Teutonicos inter fluvios celeberrimus *Albis*,
Quæritur is nomen traxerit unde ſuum.
Fontibus *Undenis* * Teuto denominat ipſum ;
E quorum vivis naſcitur *Albis* aquis.
Eſto : ſed ex *albis* RISTI, me judice, CYCNIS
Hôc ſeclô nomen rectiûs *Albis* habet.

* Albim *nomen habere à numero* undecim, *è quibus oritur*, fontium, *qui tandem conflati Albim fluvium conficiant, tradit Fabricius in ſuis rerum Miſnic. libris. Nam* Elve & Elbe *Germanis* Undecim *ſignificat.*

6.

RISTIUS *Albis fluvii Honor.*

Alba * per Hiſpanos ; Italoſque *per Albula* † campos.
Claret : at eſt clarus Teutonis *Albis* humô
Albula & *Alba* tamen ſolo ſuperantur ab *Albi*,
Dum clarat celebres RISTIUS unus aquas.

* Alba, *flumen eſt* Hiſpâniæ *citerioris ad radices Pyrenæi. Plin* 3. c. 3.

† Albula, *eſt nobiliſſimus* Italiæ *fluvius idem qui* Tyberis. *Virg. l.* 8. *Æn. v.* 330, 331, 332.

Ænigma

de παλινδρομία *duorum Nominum Propriorum.*
Ad Virum Quendam pl. Rev. & Clariſſimum.

Nomina bina pari Latium pronunciat ore,
Sive viâ rectâ, retrogrodâve legas.
Has voces quas eſſe putas ? Vox competit una
Fœmineo * generi ; competit una *Viris* †

* ANNÆ. OTTO.

Ad Nob. Spectab. & Conſultiſſ.

DN. ANDREAM WILMSONIUM,

Advocatum Communit. Civium, & Prætorem Suburbanum.

Wilmſonium legit Patrum conſenſus, ut annô
Hoc *Præſentantem* dux regat arte *chorum*.
Wilmſonius rectè fungetur partibus iſtis :
Nomine, ſe pronus publica *Velle*, docet.

Gene-

Generoſo, Nobiliſſimo, & maximè Strenuo

DN. DN. ERNESTO DE BODECK,

Hæreditario in Janſdorff, Wieſe, & Falckerhorſt &c. Literarum Cultori, Literatorum Fautori laude digniſſimo.

1.

Hoc Epigrammatum Exemplar exhibetur.

Montibus Aoniis Epigrammata nata fuerunt:
Hinc amat excelſos Muſa ſubire Lares:
Tendit ad inſignes Generis ſplendore PATRONOS,
Conſpicuoſque petit Gentis honore Viros.
Ergò BODECKERI viſat mea Muſa Penates*:
Invenit hic fulgens nobilitate decus.
Muſa gradum celera: Tibi SOL ORIETUR eunti:
Namque BODECKERUM SOL ORIENTIS habet.

* *Pagus Janſdorff Civitati Elbingæ verſus Orientem ſitus eſt.*

2.

Exhibitionis ex Nominibus trium Pagorum occaſio oſtenditur.

Pax recreat Muſas: *pratis* & *ſaltibus* ipſe
Cum Muſis gaudet præſes Apollo ſuis.
Non igitur mirum, quòd Te mea Muſa ſalutet:
In *Pagis* * quærit tam Bona grata Tuis.

* *Janſdorff, quaſi* Jani *pagus* pacem *ſpondet; quia Templum* Jani *clauſum* pacis *ſignum Romæ erat.* Wieſe *verò &* Falckenhorſt *à* pratis *&* ſaltibus *nomina, Germano cuivis obvia, gerunt.*

3.

Faviſti quondam præſens in Druſide Suadæ*:
Nunc *abſens Muſæ* porrò faveto meæ.
Ceu mea te coluit *præſentem-ſuada loquendo*:
Te ſic *abſentem Muſa canendo* colet.

* *Anno* 1653. *cum orationem Inauguralem de conjungenda Rationis & Orationis cultura in Gymn. Elbing. haberem.*

4.

Votum annectitur;
eoq; alluditur ad Nominis Gentilitii finalem ſyllabam ECK.

Angulus in vita es; ſed qui vivendo fuiſti
Angulus, à fatis *Angelus* * eſto Tuis.

* *Luc.* 20. *v.* 36.

Diſtichon Thecæ inſcriptum,

Quam

Nobiliſſimus ac Conſultiſſimus

DN. BARTHOLOMÆUS FRIDERICI,

Secretarius Civit. Elbing. primarius,

Adfinis pl. colendus,

cum Militibus Scacchicis mihi donavit.

Scacchica *Friderici Friderico** hæc agmina donat:
A Caſu *Obliquo** munera *Rectus*† habet.

* *id eſt: à Genitivo* Friderici, *quod Cognomen eſt Donatoris.*

† *id eſt: Nominativus* Fridericus, *quod Nomen eſt Donatarii.*

Ad plur. Rever. Excellentiſſ. Clariſſ. Virum

DN. M. JOHANNEM NEUNACHBERUM,

Paſtorem Thorun. primarium, & Gymnaſii Profeſſorem.

Neunachbere meus verſu Te viſit Apollo,
Nec ſeſe infeſtas ſperat adire fores.
Nam, qui Te quondam *vicinum* Phœbus amabat,
Jam Tibi *vicinus* geſtit amore frui.

Ad Eundem.

De Cognominis Origine.

Cùm quondam Clarii peteres faſtigia Montis;
Et propè jam ſtares in viridante jugo:
Dixit Apollo novem lætanti voce Deabus,
O mea *Vicinum* cernite turba *Novum*.
Gratantes igitur plaudebant illicò Divæ,
Vicinóque dabant proſpera verba *Novo*.
Vicinum, euge, *Novum*! cantabunt undique Muſæ;
Nomine non aliò Te voluêre cani.

Tri-

Triplex Elogium

Nobiliſſimi ac Literatiſſimi Domini,

GUILIELMI CLENCHI, ANGLI,

ductum.

1.

E certa Cognominis Derivatione.

Veſtra mihi, CLENCHI, *de Contraho* * nata videntur
Nomina: quid gremiô contrahis ergò Tuo?
Ars, ſimul & Virtus in te *contracta* jugantur:
Virtutum eſt in Te Nucleus; Artis item.

* *Riderus in Diction. ſuo habet: to clinchor clench eſt contrahere: ut, to clinch the fiſt, contrahere pugnum.*

2.

Ex honeſta Mercurii Imitatione

Artes, non Merces, multi tractare laborant:
Mercis Mercurius ſed Deus ipſe fuit.
Merces, non Artes, alios tractare juvabit:
Artis Mercurius ſed Deus ipſe fuit.
Artes & Merces, CLENCHI, es tractare peritus;
Sic bene, Mercurius quod fuit, eſſe ſtudes.

3.

E grata Liberalitatis prædicatione.

Aurea dixiſti præſtans mea Carmina CLENHCI:
Aurea judiciô Carmina ſunto Tuo.
Nam Tu Ducatis Epigrammata gratus *inauras:*
Aurea ſic feci non Ego; Tute facis.

Ad Humaniſſimum, Præſtantiſſimúmque

DN. JOHANNEM MATTHÆUM,

Amicum ſuum colendum.

Matthæus tribuêre Tibi Noménque *Johannes*
Scriptores CHRISTI, Diſcipulique duo.
Hoc in Te duplex Nomen quia jungitur uno,
Conſimilis vitâ ſis ut Utrique, decet.

In Effigiem ac Nomen
Reverendi ac Clariſſimi Viri
DN. CYRIACI MARTINI,
Paſtoris Elbing. ad D. Corporis vigilantiſſimi.

Cyriacus vultu *Martini* cernitur iſtô:
Nec ſine momento Nomen utrumque gerit.
Cyriaci CHRISTUM; *Martini* voce LUTHERUM
Intimat: hoc Myſtam Nomen utrumque decet.

In Anagramma
Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Domini
BARTHOLOMÆI FRIDERICI,
Secret. Elbing. primarii
EPIGRAMMA
Politico-Theologicum.

Bartholomæus Fridericus. Anag. *Ah Sol beatorum: fide curris.*

Eſt Homini geminata *Fides* ſervanda fideli:
Tum *mundana* Fides: tum quoque *ſacra* Fides.
Utraque, ſi ſervas, laudémque decúſque meretur:
Hæc Tu, nam ſervas, ô FRIDERICE, meres,
Ah, prudente *fide* quia *curris* in Urbe fidelis,
Inde *beatorum Sol* potes eſſe ſolô.
Ah, ſalvante *fide* quia *curris* in Orbe fidelis,
Inde *beatorum Sol* eris ipſe Polô.

Ad Nobiliſſ. Spectatiſſ. Conſultiſſ.
DN. PETRUM ZIMMERMANNUM,
Inclytæ Civit. Thorun. Secret. digniſſimum, Fautorem atque Amicum ſuum pl. colendum.

De Nominis utriuſque Origine.

Es *Petrus*; & ſupra Chriſtum, qui *Petra* ſalutis,
Ædificas fidei conſolidáſque domum.
Hinc *Zimmermanni*, niſi fallunt omnia, Nomen
A ſtudio ductum eſt *ædificante* Tuum.

Ad Nobiliſſ. Spectatiſſimum, Conſultiſſ.

DN. ANDREAM WILMSONIUM,

h. t. Communit. Civium Elbing. Advocatum, & Iudicem Suburbanum.

Carminis Exemplar, *Wilmſoni* docte, recuſi
Fautori mittit noſtra Camœna ſuo.
Non odiſſe ſoles, nec *vis* odiſſe Poëſin;
Eſque *voluntatis - Filius* inde bonæ.

Inſcriptio Scutulorum victricium,

Quæ laudata Civium Elbingenſium Bombardariorum Fraternitas ex argenteis in aureo mutabat. An. 1663.

Qui victrice manu celeres miſêre ſagittas,
In ſcutis horum Nomina quinque micant.
In binis radiant FAUTORUM Nomina ſcutis,
Munera qui facili ſponte tulêre manu.
Cætera ſcuta oculis victricia Nomina monſtrant,
Queîs Bombarda frui REGIS honore dedit.
Argentô quondam tot Nomina clara nitebant;
Nunc *Aurô* ſculpi commeruêre ſimul.

Ad Virum

Humaniſſimum & Doctiſſimum,

DN. MATTHIAM MOHR,

Gymn. Elbing. Collegam.

Impoſitum Tibi, MOHRE, geris memorabile Nomen;
Quod par eſt quemvis volvere mente pium.
Hoc ſi mente notas, ſapiens cum Moſe * futurus:
Eſt verè ſapiens cura; *memento* MORI.

* *Ps.* 90. *v.* 12.

Viro

Viro Reverendo & Doctiſſimo

DN. PAULO HOFFMANNO,

Eccleſiæ Altfeldenſis in Inſula Fiſchoviana Paſtori; Fratri ſuo germano.

Altenfeldenſis concors Eccleſia votis
Te ſibi *Paſtorem*, Frater amate, vocat?
Munus adi, Tibi quod divinô *munere* venit:
Nec fugias *Chriſti* ſponte ſubire vices.
PASTOR *Avus*,* GENITORQUE† fuit cœleſtibus arvis;
Cùm quibus unitum Nomen & Omen habes.
Hos imitére Viros; ſis Auſpice Numine Culter
Altenfeldenſis ſpiritualis agri.
Scilicet à *veteri* locus eſt Majoribus *agro*
Dictus; at hunc *agrum* non *vetus* omne decet.
Hinc *vetus* abſit Adam, turpi qui crimine vivit:
Hôc *novus* atque placens *rure* vireſcat homo.
Ergò colas *veterem, veterem* ſed Nomine, *Campum*:
Re *novus*, & fructu ſit cumulatus *Ager*!

* *Avus paternus*, Dn. Paulus Hoffmannus 36
Avus maternus, Dn. Severin. Mergo. 54
† *Parens p. m.* Dn. Paulus Hoffmannus 17
} *annis Eccleſiæ Chriſti præfuit & profuit.*

Ad Virum

Nobilitate Generis & prudentiâ ſpectabilem,

DN. GEORGIUM HOPPIUM,

Hoppiani Stemmatis præcipuum Germen, in Civium Elbing. ſelectiore (quæ Præſentans *vocatur) Communitate è primariis; Et Ejuſdem antehac Advocatum digniſſimum, nunc beatè defunctum.*

Autu-

1.

Autumnus Morbifer & Mortifer.

Hactenus *æſtivi* caruerunt funere Soles :
Multa Segeſta quidem ; non Libitina fuit.
Nunc *autumnales* dant triſtia funera menſes ;
Eſt, Hoppi, funus flebile, triſte tuum.
Ergò quod *Autumnus* (ſi Teuto vocabula vertat)
Corporibus ſoleat *lethifer* * eſſe, doces.

* *Anagr. Herbſt. Sterb.*

2.

Parcæ Muſis ſuperiores.

In Te multa quidem Virtus effulſerat, Hoppi ;
Quam decuit properæ vim cohibere Necis.
Ortu clarus eras ; fueras quoque clarus ab *Arte :*
In Te cum Muſis Gratia trina fuit.
Sed defuncturo nullum Tibi venit ab *ortu*
Auxilium ; nullum venit ab *arte* Tibi.
Non *Charites* poterant *ternæ tres* vincere *Parcas :*
Nec *tribus* his *Muſæ* prævaluêre *novem.*

3.

Georgica Vita.

Impactâ Cererem ſuccidens falce colonus
In campis meſſem finiit, ecce, ſuam.
Hoppiades pariter (ſimilis quia vita *Colonis*)
Exegit vitæ tempora lapſa ſuæ.
Nunc verò, poſtquam terrena *Georgica* ceſſant,
Cœleſti felix rure γεωργὸς ovat.

Ad Generoſum, Magnificum, Ampliſſ.

DN.DN. ISRAELEM HOPPIUM,

Præ-Coſ. Civit. Elbing. Seniorem, Burggrâb. Reg. eminentiſſimum, Patrem mœrentiſſimum.

1.

Luctus Multitudo.

Acriùs oppugnat Veſtram Mors lurida Stirpem,
Et Generis Veſtri ſplendida fulcra ruit.
Eſt *Jungſchultziades* ; eſt *Paynius* abditus urnâ :
Jam Tuus *Hoppiades* morte peremtus obit.
Triſtius hoc illis eſt funus : ſuſtulit illîc
Mors etenim *Generos :* hic *Generatus* obit.

Luctus

2.

Luctus Magnitudo.

Sæpius ante Tibi fugit per funera proles;
Sed proles natu tum fuit illa *minor*.
Luxiſti ſobolem: ſed, quòd *minor* illa fuiſſet,
Hinc etiam luctus tum fuit ipſe *minor*.
Nunc oritur verò luctus Tibi *maximus*, Hoppi:
Nam Gnatus natu *maximus* Orbe fugit.

3.

Faſces ſunt faſces.

Würde iſt Bürde.

Es *caput* & patriæ Vertex excelſior Urbis:
Sæpe Tuum tangunt ſed mala mœſta *caput*.
Sic gerit haut quiſquam *Faſces* ſine faſcibus ullos:
Eſt Tibi *magnus* honos: & Tibi *majus* onus.

Patronorum meorum Honoratiſſimo Salutem, Beatitatem.

Nomen ab *augendo* locuples *Auctumus* habere
Dicitur: hic auget divite tecta penu.
Non augere meas *Auctumnus* nititur ædes:
Namque deeſt noſtro Diva Moneta Lari.
Si numos dederis, equidem tunc utilis *Auctor*
Auctumnus fuerit; Tu tamen *Autor* eris.

Extemporalis Gratulatio Epigrammatica

Nobiliſſimis ac Doctiſſimis Viris-Juvenibus

DN. THEOPHILO HELWING:

ET

DN. JACOBO HESE,

in patriam reverſis miſſa.

I.

Ad Utrumque.

Dulce peregrino cùm ſit ſub Sole morari,
Cur ad Druſiacos Ambo reditis agros?

Vos

Vos Patriæ natalis amor dulcedine retrò
Duxit; & ad patrios, *dixit*, abite Lares.

2.

Ad Dn. *Theoph. Helwing.*

Ad patriam remeas *Helwinge* politior Urbem,
Et priſcos repetis Druſidos Urbe focos.
Elbingam Helwingus deponere mente nequivit:
Nam tecum compar Patria Nomen * habet.

* Elbing. Helwing.

3.

Ad Dn. *Jacob. Heſium.*

Lætior eſt noſtra tuus hic adventus in Urbe!
Gratatur reditum tota *Propago* tuum.
Cum *Patre* lætatur *Mater*; ceu gratior unus
Eſt oculus; ſic Tu gratior Hoſpes ades.

4.

Ad Dn. *Theoph. Helwingium.*

Theophilus quantum *Franciſcô* fauſtior ivit:
Et *Fratrem Frater* proſperitate præit!
Gallia *Franciſcum* retinet: *Te* Gallia reddit:
Fænore Tu remeas: *Funere* Frater obit.

5.

Ad Dn. *Jac. Heſe.*

Aoniis *Heſius* ſtudiis excultus & arte
Ad patriæ ſoſpes mœnia grata redit.
Eſt laſſata ſatis diuturnô Muſa labore:
Nunc *Heſio* tandem dulcior Ἡσις * erit.

* *i. e. Quies.*

Epigrammata nonnulla

De Re omnium in mundo cariſſima, *at rariſſima* PECUNIA: *quorum elaborandorum Vir Nobiliſſimus, Ampliſſ. Conſultiſſ.*

DN. ERASMUS

Aelbrun anſam dedit.

1.

Materia Verſus Pentametri, *à* Dn. Eraſmo Aelbrun *propoſita, quæ eſt*

FLOREAT AUCTA PECUNIA.

Pen-

Pentametrum poterit ternis compingere verbis,
Quem non ingenium judiciumque fugit.
Nil accerſe novi: validam modò poſce ſecurim;
Tum ponas juſtô debita fruſta locô.
Qui ſtruet hinc Verſum, votis huîc ſerius opto,
Floreat aucta Pecu- *floreat aucta- nia.*

2.

Tmeſis infelix.

Noxius ille fuit violentæ Tmeſeos Autor,
Qui, nexam antè, *Pecu-* diſcidit ipſe *-niam.*
Vox divulſa fuit; nunc res divellitur ipſa:
In loculo ergò *Pecu-* non manet ulla *- nia.*

3.

MELIORA!

Ergóne perpetuò fluit hæc vox flebilis ore?
Deficiente pecu- deficit omne- niâ.
Quando redit tempus, vox hæc ut mulceat aures?
Sufficiente *pecu-* ſufficit omne-*niâ.*

4.

Syncope inauſpicata.

Dives eram,& loculis foret ampla Pe- CU- nia noſtris,
Si non Sors illos evacuaret inops.
Sunt rupti loculi: CU ruptis excidit illis:
Hinc *Penia* * in loculo reſtitit una mihi.

* *i. e.* P*aupertas.*

5.

Bene nummatus eſt florentiſſimus.

Hic homo doctrinâ floret, ſed honoribus alter:
Floret amicitia tertius ille ſuâ.
Eſt aliquid: nondum plenô ſed *flore* vireſcit:
Florens, florenis qui bene *floret*, erit.

In Poëma R. P.

JACOBI BALDE

de Vanitate Mundi.

Omnia *vana* putat Baldus; legiſſe ſed ipſum
Hunc Baldum, *vanum* non opus eſſe puto.

De

De Pane piperato Thorunienſi, quem Pfefferkuche *vocant.*

Ambroſiam veteres quondam cecinere Poëtæ,
Quam menſis ſuperi Dî poſuêre ſuis.
Sunt noſtris etiam ſapidiſſima pabula terris;
Sunt epulæ nobis, ambroſiæque dapes.
Quam mihi *maſſa* movet gratam *piperata* ſalivam,
Quam pinſit piſtor, *clara Thorunna*, tuus!
Gratius hoc nihil eſt; nil *pane* ſalubrius iſtô:
Hic recreare poteſt: hic medicare poteſt.
Matutinus *Aquam Vitæ* ſi poſcere gaudes,
Et *panis* præſtò tum *piperatus* erit.
Veſpere ſi jubeas bellaria ponere menſis;
Hic *panis* quadrâ nè, procul eſto tuâ.
Non emit hunc tantùm panem bonus incola terræ;
Hunc vehit externis puppis equuſque locis.
Pluribus haud opus eſt *piperatum* extollere *panem*:
Immodica eſt lautæ laus *piperata* * rei.
* *i. e. mordax.*

De Eodem.

Non queo, ſi vellem, *piperatam* ornare placentam
Ob *pauperatam* Palladem.

A D
DN. JOHANNEM FABRICIUM,
Gym. Elbing. Cantorem.

Tricinium Angelicum, Luc. cap. 2.

Angelicæ Chriſti natali nocte cohortes
Harmoniam *Vocum* concinuêre *trium*.
Diſcantum primò cecinit vox alta; vel *Altum*;
Dum canit; *excelſo* gloria *celſa* DEO!
Inde tonat *Baſſum*, dum fertur in infima cantus,
Inque *baſi* terræ pax ſit amica, vovet.

Aſt

Aſtubi terrigenis optatur grata voluntas,
Tum ſonuit concors Dîs Hominique *Tenor.*

Parodia Reſponſoria

DN. JOHANNIS FABRICII,

Ad Dn. *Frider. Hoffmannum* Con-R.

Tricinii Angelici (Luc.2.)

Nos Homines decet eſſe æmulos.

Ceu Chriſti Angelicæ Natali nocte Cohortes
Harmoniam vocum concinuêre trium:
Sic nos Mortales parili ratione decebit
Angelicum intér nos concelebrare melos.
Diſcantus primò ſublimi voce, vel *Altus*
Inchoët: *Excelſo* Gloria *celſa* DEO!
Inde tonet *Baſſus*, Cantuſque feratur ad ima,
Optet & in terris ut bona Pacis eant.
Tum quoque Terrigenis voveatur grata Voluntas;
Perſonet ut concors Dîs Hominique *Tenor.*

IN

DN. ANDREAM GRYPHIUM,

Poëtarum Sileſiæ clariſſimum.

Gryphius è facie mihi non innotuit Autor:
Sed ſatis Ingenii cognitione patet.
Nam fabricata ſtylô tereti dum Carmina noſco,
Gryphius è *graphio* noſcitur inde ſuo.

Ad Nobiliſſimum, Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. SAMUELEM BARNERUM,

Patriæ Coſ. merentiſſimum,
Camerarium vigilantiſſimum,
Patronum honoratiſſimum,

OMEN

O M E N

Ex Diſputatione Politica

De Reditibus publicis, eorumque Uſu & Abuſu in Illuſtri quadam Cathedra An. 1646. *Jul.* 18. *habitâ petitum.*

Quô *Reditus* uſu laudem mereantur in Urbe,
Explicuit doctâ pagina ſcripta manu.
Omine non caruit Tua Diſſertatio certô:
Dat *Reditus* curæ Patria namque Tuæ.
Facundè quondam *Reditus* ſcribendo notâſti:
O ſi *fæcundè* nunc tribuiſſe queas!
Eſt etenim felix, qui *cultô diſputat ore:*
Qui verò *multô computat ære* præit.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo

DN. GEORGIO BECKHERO,

Coſ. Elbing. deſignato.

Autores Electionis.

Te *Natura* ſuis inſtruxit provida donis;
Te cultâ cultum *Pallas* ab arte dedit.
Te docuit *Conſus*, Cives ratione regendos:
Te poliit juſti cognitione *Themis.*
Te DEUS eximiô perfungi poſcit honore:
Te *Cives* ſocium Patribus ore legunt.
In Te conſpirant *Homines*, BECKHERE, *Diique*:
Sic *Hominum* nutu CONSUL es, atque Deûm.

Menſis Electionis.

Martius in Patrum Te collocat ordine Menſis:
Non tamen eſt idem *Martis*, at *Artis*, honor.
Sit licet infenſus *Phœbô*; tamen enſifer ipſe
Mavors ſe *Phœbô* poſſe carere, negat.

Accidens. Electionis.

Tres vocat ad Pa:rum *Præſes* ſubſellia Patres,
Quos voluit vacuos introiiſſe locos.
Tu pro more latus clauſiſti *Præſidis* adſtans;
Dum Tua præſentis Nomina voce legit.
Te, credo, graviter tetigit vox *fulminis inſtar*:
A JOVE tunc etenim *non procul* ipſus eras.
* *i. e. Præſide.*

Ad Nobiliſſ. Ampliſſ. Conſultiſſ.

DN. ALEXANDRUM JUNGSCHULTZIUM,

Coſ. Elbing. nuncupatum.

Hactenus ornatus *Prætoris* Nomine clares:
Præſagum id magni Nomen honoris erat.
Namque Magiſtratus Romanus munere *Prætor*
Functus erat: ſimilis Téque *decebat* honor.
Hoc decus aſſequeris, dum munere Conſulis amplô.
Nelodicum exornat Te Themis atque DICE.

Ad Spectab. & Conſultiſſ.

DN. DANIELEM DRABITIUM,

h. t. Comm. Civium Advocat. Prætorémque Suburbanum.

Hactenus exſtiteras præſtans ac utile *Membrum*
In *Præſentantum* ſede chorôque *Virûm*:
Hoc annô *Capitis* defert Tibi Druſis honorem:
Corporis ut prudens relliqua *Membra* regas.
Sis *Caput* ergò gregis: fructu cum divite *Membris*,
Præſis ac *proſis* hâc ſtatione Tuis.

Doctiſſi-

Doctiſſimo, Politiſſimóque Autori,

DN. CHRISTOPHORO CREBISIO,

Expeditionem SERINEAM, *factum* Alexandro Magnô *minimè indignum*, *Rythmô* Alexandrinô *Gedani declamanti*, *Elbinga adclamat. An.* 1664.

I.

Cæſareas Aquilas, Mahometigenáſque fugaces,
 CREBISI, metricâ Teutonis arte canis.
Quæ canis, excipiunt Lectores fronte ſerenâ;
 Nam *Serinéus* metra *ſerenat* apex.

2.

Victrix Fama tuas, CREBISI, illabitur aures:
 Tu, quæ Fama refert, condis honore metri.
Sirenes nunquam tàm dulcia, credo, canebant:
 Quàm de *Serini* forte Camœna canit.

3.

Omen è Romani & Turcici Imperatorum Inſignibus.

Adſpiciunt Aquilæ fixis obtutibus ignem
 Solis: an haut, *Lunæ* pallida ſigna ferant?
Sis igitur præſens; forti ſis pectore CÆSAR:
 Non *Aquilis* oberit Turccia *Luna* Tuis.

In Album Doctiſſimi Iuvenis

DN. DANIELIS BÆHRHOLTZII.

In ſacris *Daniël* cum vaſtâ mole, *Leone*
 Vixit: at haut potuit ſævus obeſſe *Leo*.
Tu, *Daniël*, placidè vivis conjunctior *Urſo*:
 Nomine & *Inſigni* nam ferus *Urſus* adeſt.
Non tamen ille nocet: potiùs Te gloria Phœbi
 Ducit ad *Arctöum*, quô nitet *Urſa*, Polum.

In Nuptias Secundas
Generoſi & Permagnifici
DN. DN. ADRIANI de LINDA,
Præ-Coſ. Gedan. eminentiſſimi
Gratulatio Epigrammatica. An. 1665.

I.
SALUTATIO.

Ite meæ celeres, Gedanúmque reviſite Muſæ,
  LINDIADÆ fauſtâ voce beate Torum.
LINDIADES Heros Hymeneïa feſta celebrat:
  Ad *Veneris Veneres* gaudia ferte meas.

2.
Poſt Planctum Plauſus.

Tollite *Cupreſſum*, Dryades, quæ limina cinxit:
  Jam *Tilia* inſignes erigat alta comas.
Frons *tumulum* quondam triſtem, *funeſta* notabat:
  Nunc *thalamum* ſignet frons magè *feſta* novum.

3.
Viduus ſine Corpore Caput.
Ad Magnif. Dn. Præ-Coſ.

Hactenus immenſum Gedanenſi *corpus* in Urbe
  Rexiſti populi, qui *Caput* Urbis eras.
Privatis, VIR *Summe, Caput ſine Corpore* tectis
  Prorſus eras: vulſum *Vertice Corpus* erat.
Aſt ubi ſuppletur Thalamus; nunc *Integer* exis
  Ipſe *Torô*; ut fueras *Integer* antè *Forô*.

4.
Alluſio ad Nomen Utrumque
ex appetente Veris *tempore.*

Imminet herbiferi tempeſtas florida Veris:
  Adria ſe pandet: fertilis *Arbor* erit.

Adria

Adria quod faciet; *Tiliæ* quod fecerit Arbos;
Hoc ADRIANE facis; LINDIADEque facis.

5.

Obſervatio
Menſis & Diei *nuptialis.*

Menſe quidem *Martis* celebrantur gaudia tædæ:
Feſta celebrantur *Martis* & illa *Die.*
Nil tamen eſt *Marti* Sponſorum in vincula juris:
Non regitur concors *Marte,* ſed *Arte,* Torus.

6.

Nuptiæ pridie ADRIANI *celebratæ.*
Ad Gener. Dn. SPONSUM.

Tertia lux Martî feſtô ſuccenditur igne:
Quarta Tuo fulget *Nomine* ſacra dies.
Ominis augurium fauſti de *Nomine* ſurgit:
Propagant Nomen feſta marita Tuum.

7.

Exhortatio ad hilaritatem nuptialem.
Ad Eundem.

Adria quod volvit turbata per æquora fluctus;
Tot viduum curæ cor tetigêre Tuum.
Nunc ubi conſortem thalami Tibi fœdere jungis,
Curas *Adriaco* des ADRIANE mari.

8.

VALETE.

Ponite Caſtalides modulantia plectra Camœnæ:
Ipſa *Dionæa* hoc; ipſa *Diana* jubet.

Ad Nobiliſſ. Ampliſſ.

DN. ANDREAM WILMSONIUM,

Coſ. Patr. creatum
Gratulatio Epigrammatica.

I.

Electio Conſularis.

Conveniunt PATRES ſellas ſupplere vacantes,
Et legere electos in loca nuda Viros.
Te *legêre* PATRES *Wilmſoni* nobilis; inter
Te *lectum lectos* addecet ire PATRES.

2.

Luctus Lenimentum.

Triſtia dum luges WILMSONI funera Socrûs;
Et Te mœrentem mœnia noſtra vident.
Nè doleas *Socrûs*, dixit Reſpublica, mortem:
Socrus obit; *Matris* nunc ego ſtabo locô.
Te turbabat heri *lethum*; nunc *læta* ſerenant:
Cura tulit vulnus; *Curia* ſanat idem.

3.

Voluntas & Facultas
præcipuæ Conſulis Virtutes.

In patria fuerit CONSUL ſatis utilis Urbe;
Si cui *Velle* datur; ſi quoque *Poſſe* datur.
Te bene *Velle* rei patriæ; Te *poſſe* putabo:
Nomina *Velle** ſatìs; Nomina *poſſe* docent.

* ANDREAS *Græcis eſt* virilis, fortis, ſtrenuus. Wilmſonius *Germanis à* will *&* wollen *allnſivè derivari poteſt.*

Ad

Ad Nobiliſſ. Ampliſſ.

DN. FABIANUM HORNIUM,

in cenſum Conſulum Patriæ cooptatum Gratulatio Epigrammatica.

1.

Soceri & Generi Honor.

Magnifico *Socero* MAJESTAS REGIA favit,
  Quem modò Bruggrabii juſſit habere vices.
Sed *Genero* favit veneranda caterva Senatûs,
  Quem jubet in medio Conſulis ire choro.
Non ſunt hæc dubii, credo, documenta favoris:
  Dis Socer eſt gratus; *Semi* DEIsque Gener.

2

Prudentia Conſulis Index.

Quamlibet ætatis ſis, HORNI, junior annis;
  Attamen ipſe meres inter adeſſe SENES.
Namque *Senatorem* non format cana *ſenectus*:
  Sæpe *ſenilis* homo profus *anilis* erit.
Pectore cana Viri juveni prudentia degat!
  Sit *mentum* JUVENIS; ſit cata *ménſque* SENIS.

3.

Votum.

Quem DEUS extollit, *Conſul* quò præſit in Urbe,
  Officium hic *Hominis* ſuſcipit, atque DEI.
HORNI, tale geres munus: ſic comprecor ergò,
  Sint tua *grata* HOMINI; ſint *rata* facta DEO

Parodiæ Octodecim.

Ad imitationem decantatiſſimi Epigrammatis, à Jacobo Sannazario in laudem Venetæ Urbis concinnati, & à Senatu Veneto DC. Aureis redonati, conficta.

Epigramma Sannazarii tale eſt:

Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toti ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si Pelago Tyberim præfers: Urbem adſpice utramque:
Illam homines dices; hanc poſuiſſe Deos.

1.

Ad Chriſtum Crucifixum.

Viderat expanſis Chriſtum Mens ſanctâ lacertis
Pendere, & mundi ferre ſalacis onus:
Nunc Phlegethontéas, quantumvis Tartare flammas
Objice, & omne Stygis ſulphur atrocis, ait.
Jam licet exultet Satanas, ter Sole reductô
Victor erit Chriſtus. Tartara victa gement.

2.

De Sereniſſ. ac Potentiſſ. Pol. & Suec. Rege

JOANNE CASIMIRO.

Viderat Arctóis CASIMIRUM Fama ſub oris
Inclyta Sarmatici flectere frena ſoli:
Nunc mihi Romuleas quantumvis Roma ſecures
Objice, & Auguſti ſceptra potentis, ait.
Iſtula ſi Tyberi cedit: Regem adſpice utrinque:
Cernis, ibi *Genios*; hîc viguiſſe *Deos.*

3.

De Exercitu Polonico, contra Tartaros & Moſcos pugnante.

Viderat armatâ Virtus Heróa Polonos
Stare manu, & Scythici fundere monſtra Ducis:
Nunc

Nunc mihi Tartaricos quantumvis Marſpiter enſes
Objice, & illa Scythæ tela ferocis, ait.
Agmina ſi paucis præfers; animum adſpice utrinque:
Nempe hîc *Heroas* cernis, ibique *feras*.

4.

In Hungaros Turcæ reſiſtentes.

Viderat Hungaricis Chriſtjanos ſtare ſub arvis
Relligio, & Turci ſternere cæde greges:
Nunc Mahometigenas quantumvis Barbare gentes
Objice, & Othmanici monſtra furoris, ait.
Si magè Turca valet numerô, Cauſam inſpice utrinque:
Militat hîc unà *Chriſtus*, ibique *Satan*.

5.

Ad Generoſum & Magnificum Virum

DN. ISRAELEM HOPPIUM,

Præ-C. Sen. & Burggrab. Reg. Elbing.

Viderat Hoppiaden Druſâ Themis arbitra terrâ
Tutari Regis publica jura locô:
Nunc mihi Spartanas quantumvis Græcia leges
Objice, & illa tui jura Solonis, ait.
Si Spartam Elbingæ præfers; jus adiſpice utrinque:
Non illîc; dices hîc habitare Dicen.

6.

In Fontem Anglicanum DN. MICHAELIS SIEFERTI, *Præ-C. in agro Elbingenſi ſitum.*

Viderat Elbingis Anglorum Najas in arvis
Fontem vicinô prata rigare ſolô:
Nunc mihi Pegaſeos quantumvis Cynthius amnes
Objice, & illa tui flumina Fontis, ait.
Si Pruſſis Græcos præfers, lympham imbibe utramque
Illam hominum; hanc potum dixeris eſſe Deûm.

7.

In Nuptias Spectab. & Conſultiſſ. Viri

DN. CONRADI VOIDII.

Anno 1653.

Cupido Apollini prælatus.

Viderat, Idaliis Sobolem Dea Cypris in armis
  Stare ſuam, & totô figere ſpicla ſolô:
Nunc mihi Pierias quantumvis Delius artes
  Objice, & illa tui Numina montis, ait.
Sique Virum puero præfers; vim conſpice utrinque:
  Te Puerum dices; hunc magis eſſe virum.

8.

De Patronis Centuriarum Epigrammaticarum.

Viderat, inſcriptum Fautorum Nomine Clio
  Carmen, & inſignes fronte nitere Viros:
Nunc mihi peſtiferum quantumvis Zoile ſputum
  Exſpue, & illa tuæ murmura faucis, ait.
Si me non curas; Patronos inſpice tantos:
  Hi poterunt rabiem, ſat cohibere tuam.

9.

Anima Verbo Dei Satura, ex Pſal. 23.

Viderat ætherii Pſyche ſibi pabula Verbi
  Adſtare, & Chriſtum fundere roris aquas:
Nunc mihi triticeas quantumvis Bacche placentas
  Objice, & uviferæ pocula vitis, ait.
Si libum verbo præfers; uſum inſpice utrinque:
  Hoc animas paſcit: Corpus at illud alit.

10.

Ad amicum publicè diſputantem.

Viderat in doctâ Juvenem Witeberga cathedrâ
  Adſtare, & textas ſolvere ritè ſtrophas:

Nunc

Nunc mihi contortas quantumvis Dædale tricas
Objice, & illa tuæ retia fraudis, ait.
Si falſum Vero præfers: finem inſpice utrinque:
Reſpondens Victor: victus at alter abit.

11.

Tmolus in certamine Muſico Apollinis & Panos Judex.

Audiit, attentâ Tmolus datus arbiter aure,
Cùm caneret dulci doctus Apollo lyrâ:
Nunc mihi Capripedum quantumvis murmura, Mida,
Objice, & Arcadici carmina Panos, ait.
Si Pan eſt Phœbô clamôſior, excute cantum:
Pan ſtrepit; aſt melicos cantat Apollo ſonos.

12.

Hercules in Bivio.

Viderat, Alcides biviô procurrere Nymphas,
Inque Vias Juvenem ſollicitare ſuas:
Nunc mihi Virtutis quantumvis damna Voluptas
Objice, & illa tui commoda mellis, ait.
Quid te Virtuti præfers? ſi ſcrutor utramque,
Melle fluit Virtus; tu modò felle ſcates.

13.

In formoſam Phyllida.

Viderat Elmanâ Virtus Moralis in Urbe
Phylſida virgineos inter adeſſe choros:
Nunc mihi Trojanam quamvis Paris improbe Nympham
Objice, & omne tuæ Virginis ore decus.
Si præfers Helenam; Virtutes inſpice utrinque:
Tunc Helena informis; pulcraque Phyllis erit.

14.

Amor inſanabilis herbis.

Vidit Amans ſobolem Divæ Cythereidis arcum
Tendere, & Idaliis vulnera ferre dolis.

Nuuc mihi Theſſalias quamvis Epidaurius herbas
Objice, & illa vagi germina ruris, ait.
Planta licet ſanet vulnus, tamen herba per hortos
Nulla, novi curans vulnus amoris, erit.

15.

Amoris ignis.

Viderat Idaliam quaſſantem lampada Divam
Juppiter, atque uri flammea corda face:
Nunc mihi Veſuvii quantumvis Mulciber ignes
Objice, & Æthnæi fulmina montis, ait.
Si placet Æthna tuis operis: fructum inſpice utrinque:
Æthna nocet: Veneris commoda flamma creat.

16.

Amor Oculatus.

Viderat armatô Natum Cythereïs amictu
Cæcigenum certâ mittere ſpicla manu:
Nunc mihi centenos quantumvis Argus ocellos
Objice, & illa tuæ lumina frontis, ait.
Si cernens cæcô melior; facta inſpice utrinque:
Ipſe Cupido videns; cæcior Argus erit.

17.

Moriendi Neceſſitas.

Viderat inſtantem moriturus Homuncio Parcam
Jam cita fatali rumpere fila colô:
Nunc mihi miſta modis centum medicamina Pæon
Objice, & omne tuæ pharmacon artis, ait.
Si Medicus tardat mortem; conſidero Fatum:
Nex Medicos tollit; non medicina Necem.

18.

Mors melior vitâ.

Viderat extremam moriturus Homunculus horam
In[illegible] vitæ fata ſuprema ſuæ:

Nunc

Nunc mihi totius dulciſſima gaudia mundi
Adjice, & eximii culmen honoris, ait.
Impius ut vitam morti malè præferat, illi
Vita tamen mors eſt; mors mihi vita manet.

Ad Lectorem
De Titulo Libri hujus Epigrammatici.

Nè titulum jugules poſitum ſub fronte Libelli,
Quòd non promiſſo, Lector amice, ſteti.
Carmina namque legens ſperas Epigrammata tantùm:
Aſt Epigrammaticô multa lepore carent.
Carmina mixta vides Elegô Lyricóque tenore,
Queîs Epigrammaticum non dat Apollo decus.
Miſta tamen ſcripſi, quia ſolô promere librô
Carmina ſub titulis dedecet iſta novis
Multiplicanda nimìs minimè ſunt Entia: fruſtrà
Nam qui *multiplicant* Entia; *Stultiplicant.*

Cauſa inperfectæ Epigrammatum Editionis.

Pleraque, quæ luſi Latiali carmina plectrô,
Hîc nigris Cadmi ſunt animata typis.
Multa tamen deſunt: rejectis cætera chartis
Sparſa jacent, rapuit cætera tempus edax.
Nec mirum, Phœbi cultorem perdere verſus;
Nam Phœbus paſtas perdidit ipſe boves. *

* *Hor. l.* 1. *Od.* 10. *Ovid. Met.* 2.

Epigrammatum Seriorum.

Anne notas annos? *hoc ordine* Seria *pro-
ſtant:*
Anne gradus? *non eſt* Serius *ordo meus.*

Connexio Colludii & Commercii Poëtici.
De Ordine in Epigr. ſeriis obſervato.
Cur Carmina non- Epigrammatica hîc inſerta.
Cauſa diverſitatis in Stylo.
Strena triplex ad Dn. Mich. Siefert. Coſ. An. 1646.
In Nupt. Dn. Joh. Wernigk JCTI. An. 1648.
In Diſput. Dn. Franciſci Sieferti. An. 1650.
De Salmone Bremenſi.
Elogium Academiæ Juliæ. An. 1651.
Ad Dn. Joh. à Felde D.
Ad Dn. Herm. Conring. D.
Ad. Dn. M. Chriſtoph. Schraderum.
Ad Dn. Johannem Eichelium.
In Vindemiam mellis Schönmohrienſem. An. 1653.
In Obitum Salmaſii & Trompii.
Ad Amicum de Quartana. An. 1654.
In Nupt. Dn. Henr. Kretſchmeri.
In Nuptias Dn. Chriſtiani Knichen.
In Obitum Dn. M. Balth. Voidii.
Ad Dn. Mich. Helwing. Præ-C. An. 1655.
Ad Eundem, in obitu Erneſti Filioli.
Ad Dn. Ericum Oxenſtirn Cancell.
Ad Dn. Chriſtoph. Feierabend. An. 1656.
In Nuptias Dn. Sam. Corellii.
In Nupt. Dn. Franciſci Birckmanni.
In Obitum Dn. Davidis Holſtii.
In Obitum Conjugis Dn. Conr. Voidii.
In Obitum Dn. Joh. Philippi.
In Nuptias Dn. M. Henrici Nicolai.
Ad Eundem de improviſo Sponſæ Obitu.

De nonnullis Suecorum Heroibus.
Quinque Epigram. de Cal. Jan. & de Strenis.
In Obitum Conjugis Dn. Dan. Meienreis. Cos. Anno 1657.
In Nupt. Dn. Petr. Haſſi.
In Nupt. Dn. Cyriaci Martini.
In Nupt. Dn. Dan. Fadenrechts.
In Nupt. Dn. Fabiani Hornii.
In Nupt. Dn. Georg. Chriſt. Viethers.
In Nupt. Dn. Achat. Corellii. An. 1658.
In Nupt. Dn. Joh. Jungſchultzii.
In Nupt. Dn. Mich. Meienreiſii.
In Obitum Conjugis Dn. Georg. Braunii Cos.
In Nupt. Dn. Alexandr. Strauſſii.
Ad Dn. Barth. Meienreis. Scholarcham.
Ad Dn. Melch. Brochmannum. An. 1659.
In Obitum Filiæ Dn. D. Joach. Paſtorii. An. 1659.
Ad. Dn. Barth. Meienreis Præ-C.
In Hortum Dn. Dan. Meienreis Cos.
In Nupt. Dn. Ambroſii Paynii.
Ad Dn. Chriſtoph. Henckium.
In Nupt. Dn. Dan. Meienreis Cos.
In Obitum Dn. Gregorii Braunii.
In Nupt. Dn. Joh. Cottam.
In Obitum Dn. Gerhardi Truncii.
Ad Dn. Caduceatores Elbingenſes. An. 1660.
In Nupt. Dn. Georg. Beckheri.
In Effigiem Dn. Vladiſlai Rey. An. 1661.
Ad Dn. Adamum & Staniſl. Karvicios.
Ad Dn. Joh. Piper.
Ad Dn. Fabian. Hornium.
In Nupt. Dn. Chriſt. Langii.
In Nupt. Dn. Conr. Voidii.
In Nupt. Dn. And. Gailii.
Ad Dnn. Sam. Barnev. & Car. Ramſey Coss.
In Villam Dn. Alex. Jungſchultz.
In Obitum Dn Georg. Lardingii Cos.
In Obitum Dn. Mich. Siferti Præ-C.
Ad Dn. Martin. Richter Cos. An. 1662.
Ad Dn. Dan. Meienreis Præ-C.

Ad Dn. Joach. Paſtorium ab Hirtenberg.
Ad Dn. D. Theodorum Ketjis.
Ad Dn. Gotofr. Zamelium.
Ad Dn. Eraſm. Rothmaler.
Ejuſdem Reſponſum.
In Obitum Dn. Ambroſii Paynii.
In Nupt. Dn. Martini Liwaldi Secr.
In Natalem Dn. Joan. Ignat. Bakowsky.
Ad Dn. Sigiſm. Guldenſtern, L. B.
Ad Dn. Iſr. Hoppium Præ-C.
In Nupt. Dn. Mich. Meienreis.
Ad Dn. Adrian. de Linda Præ-C.
Ad Dn. Joh. Hovelium Coſ.
Ad Dn. Joh Fabricium.
Ad Dn. Paul. Gericium Coſ.
Ad Dn. Georg. Braunium Coſ.
Colluſio Genii Boni.
Ad Dn. Joh. Riſtium.
Ad Dn. Lic. Gerh. Meierum.
Ad Dn. D. Joh. Hunekenium.
Ad Dn. M. Joh. Breverum.
Ad Dn. M. Andr. Concium.
Ad Dn. Joh. Riſtium.
Ænigma ad Dn. Andr. Wilmſonium.
Ad Dn. Erneſtum de Bodeck.
Ad Dn. Barth. Friderici Secr.
Ad Dn. M. Joh. Neunachber.
Ad Dn. Guiliel. Clenche.
Ad Dn. Joh. Matthæi.
Ad Dn. Joh. Pargiter.
Ad Dn. Cyriac. Martini.
Ad Dn. Barth. Friderici.
Ad Dn. Petr, Zimmerman Secr.
Ad Dn. Andr. Wilmſonium.
Inſcriptio Scutulorum aureorum apud Bombardarios.
Ad Dn. Joh. Piper.
Ad Dn. Matth. Mohr.
Ad Dn. Paul. Hoffmannum.
Ad Dn. Georg. Hoppium.
Ad Dn. Iſr. Hoppium Burggr.

Ad Quendam Dn. Patronum.
Ad Dnn. Jac Heſium & Th. Helwing.
Ad Dn. Eraſm. Aelbrun. An. 1664.
In Poëma Dn. Jac. Balde.
De Pane piperato Thorunienſi.
Ad Dn. Joh. Fabricium.
Parodia Reſponſoria Ejuſdem.
Ad Dn. Andr Gryphium.
Ad Dn. Sam. Barnerum Coſ.
Ad Dn. Georg. Beckherum Coſ.
Ad Dn. Alex. Jungſchultz. Coſ.
Ad Dn. Don. Drabitium.
Ad Dn. Chriſtoph. Crebiſium.
Ad Dn. Dan. Bahrholz.
Parodiæ 18. quarum
1. Ad Chriſtum Crucifixum.
2. De Sereniſſ. Joh. Caſim. Rege.
3. De Exercitu Polonico.
4. In Hungaros, Turcæ reſiſtentes.
5. Ad Dn. Iſr. Hoppium Præ-C.
6. In Fontem Anglicanum Dn. Mich. Sifert.
7. In Nupt. Dn. Conr. Voidii &c.
De Titulo Libri hujus Epigrammatici.
Cauſa imperfectæ Epigram. Editionis.

F I N I S.

A01464392

A01 1464392

Intiero verificato adì

23. Gennajo 1837.

[illegible]

BI